



Specimen historico-theologicum, exhibens historiam Ecclesiae Ultrajectinae Romano-Catholicae, male Jansenisticae dictae

<https://hdl.handle.net/1874/300174>

2

SPECIMEN HISTORICO-THEOLOGICUM,
EXHIBENS
HISTORIAM ECCLESIAE ULTRAJECTINAE
ROMANO-CATHOLICAE,

MALE
JANSENISTICAE DICTAE,
QUOD
SUMMO ANNUENTE NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
BERNARDI TER HAAR,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,
NEC NON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU
ET
NOBLISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN
THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
PUBLICO AC SOLEMNI SUBMITTIT EXAMINI
JOHANNES ABRAHAMUS GERTH VAN WIJK Jr.,

Duro-Stadiensis.

A. D. XXI M. JUNII A MDCCCLIX, HORA I.



Utrechti ad Rhenum,
APUD L. E. BOSCH ET FILIOS,
MDCCCLIX.

THEOLOGICAL INSTITUTION

OF

HISTORICAL THEOLOGICAL INSTITUTION
ROMANO-CATHOLIC

OF

UNIVERSITY OF

OF

SUMMO ANNIUNTE

DE

BERNARDI

ET

ET

ACADEMIA

THEOLOGICAL FACULTY

THEOLOGICAL FACULTY

OF

THEOLOGICAL FACULTY

IN

OF

OF

OF

OF

OF

OF

OF

OF

PARENTIBUS
OPTIMIS CARISSIMIS

SACRUM.

OPTIMIS CARISIMIS
FABRICIIS
S. C. M.

PRAEFATIO.

Pauca tantum mihi de ipso, quod conscripsi, Specimine monenda sunt, quum Ecclesiae Rom.-Cath. Ultrajectinae historiam vernaculo sermone, fusius et forma minus arida, edere mihi proposuerim.

Si quis Speciminis Introitum nimis longum esse dicat, animadvertat, necessarium mihi fuisse, ut ét nexum exponerem Jansenismi inter ét Cleri Trajectini causas, saepe confusas, et in iis, quae post Reformationem, ante a°. 1702, acciderint, principia jam inesse indicarem eorum, quae Clerus Trajectinus post a°. 1702 perpessus est! Studiorum imperfectas sane primitias, veritatis tamen conscriptas amore, benevole accipiat lector!

Historiam Ecclesiae Ultrajectinae Rom.-Cath., quam a°. 1858, J. M. NEALE edidit, sub titulo: "A history of the so-called Jansenist church of Holland, etc. (Oxford)", in conscribendo Specimine adhibere non potui, quia mihi ille liber tunc demum innotuit, quum typis mandari Specimen jam coepisset.

Specimen vero meum vobis dico, optimi, carissimi Parentes! Quot vobis debeam, quantaque beneficia, non est quod hic exponam! Quam egregii mihi semper et fueritis et sitis vitae duces, Deo notum est, Cujus propter tales Parentes benignitatem laudo et clementiam. Patrem praestantissimum, quem et praeceptorem habeo et amicissimum, diu incolumem servet Deus, beatum mihi continue patronum. Matris dilectissimae vita, ad seram usque mortem, et felicitatis et fidei mihi sit exemplum.

Nec vestrum immemor sim egregii, quos in Academia nactus sum, praeceptores. Discipulorum vita, non eorum verba, vestrum perennis sit gloria. Semper mihi jucundissimum erit ea recordari, quae Vobis accepta refero, Clar. Viri, BOUMAN, TER HAAR, OPZOOMER! Et Vobis, virili muniti robore, et Tibi, rude jam donato, Dei adsit auxilium, ut multum adhuc lucri ex Vobis capiat theologia.

Prae caeteris vero Tibi gratias agere liceat, Clar. VINKE, aestumatissime Promotor, cui permulta debeo! Eximia doctrina, humanitate, benevolentia et semper me excepisti, et praesertim quum Specimen meum in lucem daturus essem. Memoriam tuam pie colere numquam non mihi erit officium. Tibi, piam lugenti defunctam uxorem, fides Christiana solatium sit! Donec sero tibi veniat nox, fidei sis documentum et praeco.

Quod autem ad Specimen attinet, non possum non recordari, quanta benevolentia Vos me affeceritis, Cleri Trajectini socii, quorum usus sum colloquiis, libris, documentis, archivis, Vos imprimis Rev. Archi-episcopo LOOS, Pastores plur. Ven. Trajectine

MULDER, et Amstelodamensis DE VRIES! Dei gratia ducti gregi vestro pracesse diu pergatis. Deus vobis adsit, Patrum vindicantibus haereditatem. Ille vos justificet, sanctificet et beatos reddat!

Vobis quoque Dei apprecor auxilium, optimi, quos hic nactus sum, Amici! Sincera nostra semper maneat amicitia! Valete, vita subsequens vitae Academicae sit corona. Tu imprimis conjunctissime J. E. VAN TOORENENBERGEN, quocum per tot horas diesque in disciplinae theologiae versatus sum curriculo, mihi semper sis sodalis. Mox, quae in votis habes, tibi D. O. M. concedat! — Amicitia nostra temporis numquam decrescat decursu.

Seripsi Trajecti ad Rhenum,
d. XVI m. Jun. anni 1859.

CONSPECTUS.

INTROITUS.

- SECTIO I. Ecclesiae Rom.-Cath. Ultrajectinae indoles.
Jansenismi expositio. Utriusque causae comparatio. 1.
- SECTIO II. Conspectus historicus de Ecclesia Rom.-Cath. in Provinciis Foed., post Reformationem, ante schisma a^o. 1702 introductum. 17.

HISTORIA ECCLESIAE ULTRAJECTINAE ROMANO-CATHOLICAE, MALE JANSENISTICAE DICTAE.

PERIODUS PRIMA. 1702—1724.

- CAPUT I. Usque ad GERARDUM POTCAMPFIUM, Vicarium Apostolicum 58.
- CAPUT II. Usque ad P. CODDAEI mortem. 71.
- CAPUT III. Usque ad STRENOVENII consecrationem. 78.

PERIODUS SECUNDA. 1725—1758.

- CAPUT I. Usque ad Episcopum Harlemensem consecratum. 100.
- CAPUT II. Usque ad Episcopum Daventriensem consecratum. 120.

PERIODUS TERTIA. 1758—1859.

- CAPUT I. Usque ad publicam Sacrorum constitutionem abolitam in Provinciis Foed. 133.
- CAPUT II. Usque ad hosce dies 153.

APPENDIX.

Index praecipuorum librorum, quos, inde ab a^o. 1702, Clerus Trajectinus edidit, ad suam defendendam causam.

INTROITUS.

SECTIO I.

ECCLIESIAE ROMANO-CATHOLICAE ULTRAJECTINAE INDOLES

JANSENISMI EXPOSITIO.

UTRIUSQUE CAUSAE COMPARATIO.



I.

Nulli certo sunt inter CHRISTI sectatores, quorum cum caeteris necessitudo religiosa tam varie dijudicatur, quam illorum qui nostra in patria Jansenistae appellari consueverint, sibi verum ipsis nomen vindicantes Veteris Ecclesiae Ultrajectinae, vel Cleri Trajectini, vel Cleri Episcopalis Veteris Romano-Catholici (1).

Sedes Apostolica illos, per unum jam et dimidium saeculum, schismatis accusat, ac excommunicationibus nec censuris parcens, alte clamat illos acerrimos esse Pontificis hostes, nequaquam ad

(1) De bisschoppelijke Klerczy, de Oud-Roomsche, Utrechtsche Kerk.

Ecclesiam pertinentes Romano-Catholicam, unice ad salutem ducentem aeternam. Ab altera vero parte, eadem Sedes, regulae immemor canonicae: *Ecclesia non curat eos qui foris sunt*, saepe illos tamquam filios, etsi seditiosos, tractavit.

Ecclesia Rom.-Catholica iudicium illud papale suo nequaquam confirmavit consensu communi. Ex omnibus orbis Catholici partibus Clerus Trajectinus a Pontifice excommunicatus, documenta accepit adhaesionis et communionis in divinis, tam a primi ac secundi ordinis Ecclesiasticis, quam ab iis qui doctrina erant eximii aut potestate.

Protestantium de Clero Trajectino, a Pontifice oppresso, iudicium, etsi haud una sit omnium sententia, plerumque erat benevolam, tamquam de Ecclesia, quae haud uno nomine cum Protestantismi conveniret principiis (1). Plerique Protestantes Clerum Trajectinum *Societatem* esse putant *Ecclesiasticam*, ab universa Ecclesia Rom.-Catholica separatam, quae separatione sua palam enuntiavit sese nexum externum cum Ecclesia Catholica necessarium haud ducere ad salutem

(1) Vid. R. BENKINK JANSSENUS, *Specimen Theol. de Romano-Catholicorum qui vulgo Jansenistae dicuntur, historia et principiis*. Groningae a^o. 1841.

Tali opinione ducti fuerunt, qui Cleri Trajectini rogarint auxilium ad divulgandam S. Scripturam. Tenendum vero est Eccl. Ultr., etsi multo melius quam caeteri Rom. Cath. iudicet de S. S. lectione, editiones tantum illas divulgare quae approbatione munitae ecclesiastica, ecclesiasticas exhibent versiones ac explicationes. Inter illos qui sic de divulganda S. S. inter Clerum Ultr. bene meriti sunt, nominandi: LE GROS, VAN DER SCHUUR, VAN RHIJN, KEMP, BOEBEREEL, al.

aeternam. Ecclesiam Trajectinam vulgo Jansenismum esse existimant, in Ecclesiae particularis formam redactum.

Minus vero justae sunt illae de Clero Trajectino opiniones.

II.

Jansenismus (¹) imprimis *doctrinam* spectat et *mores*, Ecclesiae Trajectinae causa cum *jure* magis cohaeret *canonico*.

Jansenismus, quoad *Ordinem Ecclesiasticum* et *Hierarchiam*, idem est quod Gallicanismus, quoad *doctrinam de gratia* Augustinianismi premit vestigia, et *doctrinam* docet *moralem*, multo Molinismo severiorem. Quod ad *disciplinam* attinet *ecclesiasticam* non minus strenue sese opponit illi, quae post introducta imprimis decreta pseudo-Isidoriana in Ecclesia Rom-Cath. invaluit, sententiae. Dogmata de *Episcopatu* et de *Hierarchia* diverse prorsus tractabantur a Jansenistis et illorum adversariis Jesuitis. Jesuitae Summum Pontificem proponunt tamquam *Episcopum universalem* totius Ecclesiae, unicum s^{ti}. PETRI successorem, qui potestate nullis circumscripta limitibus, Ecclesiam regit.

(¹) Illas, quas vulgo Jansenismi indicant nomine quaestiones, diu ante JANSENIUM in Ecclesia esse tractatas, notissimum est. Jansenismi nomine designata est illa in Ecclesia Rom. Cath. agitatio, quoniam JANSENI *Iprensis* liber, *Augustinus* dictus, ansam imprimis dedit, ut aperte iterum suam hac de re enuntiaret sententiam Sedes Apostolica, atque ut formula conficeretur, quae pedetentim opinionum evasit *Schubboleth*.

Jansenistae ⁽¹⁾ autem Pontificem caput aestimant *ministeriale*, non vero *essentiale* Ecclesiae, Summum Episcopum, qui omnium nomine loquitur, et omnes ad bonum peragendum excitare potest, qui, quoad Episcopos *primus inter pares*, illos etiam admonere debet ac vituperare. Jesuitismus *infallibilitatem*, saltem in iis quae *facta* spectant, ac *potestatis plenitudinem* Pontifici adscribit; Jansenismus vero concilium secutus *Basileëense*, ex ipsis Pontificum factis et verbis Ecclesiam superiorem esse probat Pontifice ac unicam infallibilem. Jesuitismus *Episcopos* pro servis fere habet Pontificis, jure tantum constitutis *papali*, atque *secundi ordinis Ecclesiasticos* minimi facit, Jansenismus vero jure *divino Episcopos* esse constitutos docet, et *secundi ordinis Ecclesiasticos* tamquam fidei testes in singulis agnoscit Ecclesiis, qui igitur audiendi sunt, nisi in conciliis oecumenicis, saltem in provincialibus. Jansenismus ita adversus Jesuitismum et imprimis Molinismum, suam defendit doctrinam de *fide*, de *hierarchia* et de *moribus*.

Hujus non est loci fuisse indicare Jansenismum illum haud recedere a doctrina Ecclesiastica Catholica, nec a Jure Canonico Ecclesiae Catholicae. Verbo tantum haec de re dicendum videtur.

Ecclesiae Rom-Catholicae principium est, quod omnia quae in doctrina et ordine ecclesiastico inve-

(1) Vid. Z. B. VAN ESPEN: *Vindictae resolutionis doct. Lov.* a^o. 1727 *disquis.* II § 7—11. MEGANCK: *Sur la primauté du Pape* a^o. 1762 al. Universe de omnibus Jansenismi quaestionibus consulatur opus: *Catéchisme historique et dogmatique sur les contestations qui divisent maintenant l'Eglise*, Nancy apud Josephum Nicolai a^o. 1750 editum duobus tomis, cui postea a^o. 1768 tres additi sunt. Liber ille anonymus conscriptus est a doct. FOURQUEVAUX.

niantur elementa, in Apostolica jam aetate, germine saltem, adesse debeant. Statuere certo nec velim, nec possim, Ecclesiam Catholicam sibi semper hac in re constitisse, ac vere nihil admisisse quam quod in aetate Apostolica suam habuit originem, verumtamen premendum hic est illud Catholicismi principium. Antiquitas itaque, inprimis quae ad Apostolorum recurrit aetatem, primum est in Ecclesia Catholica veritatis argumentum. Jansenismus autem probare potuit ac probavit sese haud recedere ab eo, quod Ecclesia Catholica ipsa Apostolorum esse dixerat, Patrumque et Conciliorum doctrinam. Quando igitur de innovatione, quae secundum illud Catholicismi principium, pro aberratione habenda est et haeresi, sermo esse potest in Jansenismi causa, ipsi Jesuitae, non vero Jansenistae rei essent dicendi. Jesuitarum enim, adversus Jansenismum, doctrina de *gratia* Semi-pelagianismum redolebat; — illorum conatus ut in *ordine hierarchico* monarchiam constituerent autocraticam, in antiquitate fundamentum suum haud habebat; — ita ut Jesuitarum doctrina haud conveniret cum Ecclesiae Rom. Catholicae principiis.

III.

Neque vero quaestionem mihi solvendam proposui quatenus Jansenismus cum Patribus Ecclesiae et Conciliis conveniens, sibi constet, vel quatenus Jansenismi nomen omnes accurate denotet sententias, quarum, qui illo indicantur nomine, patroni sunt et fautores. Quinque fuisse a CORNETO Jesuita

confectas theses ⁽¹⁾, quas Sedes Apostolica damnavit, et in initio clam, deinde palam, ex CORNELII JANSENII *Augustino* petitas dixit, neminem fugit. Sedes Apostolica illas damnavit theses, contendens JANSENIUM sensu haeretico illas scripsisse; et ALEXANDER Papa VII formulam confecit, cui subscriberent Ecclesiastici, qua theses illae damnantur adscriptae JANSENIO, qui haeretico sensu eas confecisse diserte dicitur. ⁽²⁾ Qui Molinismo resistebant, Thomistas secuti,

⁽¹⁾ Theses illae sic se habent: 1^o. Aliqua Dei praecepta, hominibus justis volentibus, et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia qua possibilia fiant. 2^o. Interiori gratiae in statu naturae numquam resistitur. 3^o. Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. 4^o. Semi-pelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; sed in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. 5^o. Semi-pelagianum est dicere CHRISTUM pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Vide Cleri Trajectini de illis thesibus, nostris etiam diebus, iudicium in op: P. BUTS. *Rome en Utrecht*. al.

⁽²⁾ INNOCENTIUS X theses damnavit, non vero diserte JANSENIO adscriptas.

ALEXANDER VII, 16 Oct. 1656, bullam INNOCENTII confirmavit, thesibus JANSENII adscriptis libro. A^o. 1665 severiorem etiam confecit formulam subscriptionis, quae theses damnat ex JANSENII petitas libro, ab auctore sensu conscriptas haeretico.

CLEMENS IX a^o. 1669 concordiam restituit in Ecclesia Gallica permittens, ut ita subscriberetur formulae ALEXANDRI ut theses quidem ipsae damnarentur, altum vero esset silentium de quaestione utrum ex JANSENII petitae essent libro necne.

CLEMENS XI a^o. 1705 bullam edidit *Vineam Domini Zabaoth*, qua pax sublata est Clementina, quippe premente altum haud sufficere silentium de quaestione utrum theses ex JANSENIO essent petitae.

contendebant theses illas procul dubio esse damnandas tamquam haereticas, simul vero defendebant JANSENIUM, dicentes, theses illas nequaquam in illius inveniri libro, prorsus oppositas docente sententias; primam quidem verbotenus inesse, verum, monente oratione contexta, haeretico nequaquam sensu, caeteras vero quatuor, nec quoad voces nec quoad sensum. Formulae igitur ALEXANDRI subscribere quidem volebant quoad *jus* (i. e. theses esse haereticas), non vero quoad *factum* (i. e. in *Augustino* JANSENI illas occurrere) ⁽¹⁾. Qui vero ita sentiebant, ac formulae ALEXANDRI, quod ad *factum* ⁽²⁾ etiam, subscribere recusabant, Jansenistae dicebantur, atque in Gallia imprimis gravibus afficiebantur persecutionibus. INNOCENTIUS Papa XII ⁽³⁾ prohibuit ne quis Jansenistae notaretur nomine, nisi qui palam illarum quinque thesium tamquam orthodoxarum existeret fautor. Quando jussum illud papale

(1) Adhuc a^o. 1788 Augustiniani quidam *Neapoli* publice thesem defenderunt, Generali suo PICINIO *Romae* dedicatam, in JANSENI *Augustino* quinque illas theses damnatas non occurrere, — verum unice orthodoxam celeberrimi Patris Ecclesiae AUGUSTINI doctrinam, — ita ut JANSENIUS omni haereseos suspicione sit absolvendus. Vid. *Nouvelles Eccles.* 1788 p. 149.

(2) Plurimi Rom.-Catholici, et multi etiam inter Protestantes (e. g. w. BROES) discrimen illud *jus* inter et *factum* immerito argutarum accusarunt. Tale discrimen vero omnis jurisdictionis est principium. Si quis e. g. caedis accusatur, omnes de *jure* consentiunt, eadem nempe esse puniendam statuentes. Quaestio vero *facti* est utrum reus eadem commiserit necne. Discrimen eo nititur, quod fallibilitas admitti debeat quod ad facta, quae falsis testimoniis alicui imputari possunt. In casu igitur hocce tenendum, illos qui Jansenistae dicuntur, enuntiato illo discrimine, simul aperte docuisse *fallibilitatem papalem*, saltem quoad facta.

(3) In epistola ad Episcopos Belgicos a^o. 1694.

probe teneretur, nemo verosimiliter, nullus certe eorum qui nunc Jansenistae dicuntur, illo designaretur nomine. Nomen vero illud divulgabatur ac divulgatur ab adversariis, ut in haereseos incurrat suspicionem qui, doctrina ecclesiastica et jure canonico ductus, coecam praestare recuset Pontifici obedientiam.

Idem, qui in formulae ALEXANDRI subscriptione discrimen premebant *jus* inter et *factum*, postea constitutioni Unigenitus, qua 101 theses ex QUESNELLII libro, qui *Animadversiones morales* dicitur ⁽¹⁾, a CLEMENTE Papa XI, d. 8 m. Sept. 1713 damnatae sunt, subscribere nolebant, contendentes theses illas damnatas esse orthodoxas, ex S. Codice et Patribus Ecclesiae petitas, saltem cum illis convenientes. Illa negata subscriptione nequaquam *normam fidei* infringi ostendebant, quandoquidem constitutio Unigenitus nec est nec fieri potest *fidei norma*. Vi coacti civili ac ecclesiastica, a Summo Pontifice ad universam Ecclesiam Cath., Papa majorem, appellarunt, provocando ad concilium futurum generale ⁽²⁾. In Gallia vero, Aula LUDOVICI, Sedi favens Apostolicae,

(1) A.º. 1671 QUESNELLIIUS edidit opus: *Abregé de la morale de l'Evangile*, quod saepius editum, pedetentim adauctum est donec 8 tomis constaret, quorum titulus: *Réflexions morales*. Praecipui Ecclesiae Gallicae Episcopi summis illum librum extulerunt laudibus; — inter quos cardinalis NOALLIUS (de Noailles), VIALART, NICOLE, BOSSUETUS al.

(2) LA BROUE, COLBERT, SOANEN et DE L'ANGLE, Episcopi *Mirapiscanus* (Mirepoix), *Monspessulaneus* (Montpellier), *Sanitiensis* (Senex) et *Bononiensis* (Boulogne), a.º. 1717 appellationem emisissent, cui *Sorbona*, cum multis primi et secundi ordinis Ecclesiasticis, Universitatibus, Doctoribus al. sese conjunxerunt. A.º. 1719 et 1720 illa appellatio iterata est.

persecutionibus et comminationibus pedetentim infregit Jansenismi ac Gallicanismi vim externam. *Coenobii Porti Regii* historia (1) universam proponit erga Jansenismum agendi rationem. Coenobium illud arx erat Jansenismi et focus; celeberrimi ibi degerunt vel educati sunt PASCALIUS, ANT. ARNALDUS, NICOLIUS, LE MAISTRE (Sacy), al. Arce illa expugnata, ac Jesuitismi adversariis permultis in exilium missis, et in carcerem coniectis, victoriam facile reportare potuit Summus Pontifex, — etiamsi semina in agro remansissent Jansenistica.

IV.

Plerique ita rem proponunt, acsi Ecclesia Ultrajectina unica fuerit, in qua Jansenismus nulla oppressione politica devictus sit, atque Jansenismo suam debuerit prorsus singularem erga Sedem Apostolicam conditionem. Nexus profecto intercedit Jansenismum inter et Ecclesiam Trajectinam, quamvis nequaquam Clerus Trajectinus, Jansenismus, in Ecclesiae formam redactus, dici possit.

Ecclesia Trajectina cum Jansenismo et Gallicanismo congruit quoad *doctrinam, hierarchiam et mores*, verum causa primaria Aulae Ponti-

(1) Vid. BENNINK JANSSONIUS, al. Coenobium Porti Regii vel Porrigii (Port-Royal) a^o. 1204 conditum, saec. XVII per Arnaldarum inprimis familiam praeclarum, Jansenismo imbutum, formulae ALEXANDRI subscribere recusabat, nisi quoad *jus*, non quoad *factum*. A^o. 1709 LUDOVICUS XIV, consentiente Summo Pontifice, coenobium delevit, quia Portoregiensis bullae *Vineam Domini Zabaoth* subscribere volebant.

ficiae adversus Trajectinos odii non in illo, verum in *juris canonici* latet quaestione. Tota Cleri Trajectini erga Pontificem agendi ratio procul dubio ostendit, Clerum eandem habere de *Episcopatu*, *Hierarchia*que doctrinam, quam Jansenistae defende-
runt in Gallia. Clerus Jansenistarum sententias veras Romano-Catholicas habet; sed magis quam de doctrina, de Ecclesiae Trajectinae exis-
tentia ac juribus litis est cardo Pontificem inter et Ultrajectinos.

Sedes Apostolica Ecclesiam Ultrajectinam Reformatione prorsus esse eversam et collapsam contendit, — ita ut cum existentia omnem amiserit jurisdictionem, et Ecclesiae singularis ⁽¹⁾ jura ac privilegia, atque in Missionis formam redacta, a nutu prorsus pendeat ac arbitrio Summi Pontificis ⁽²⁾. Ecclesia vero Trajectina, quae Jansenistica vulgo dicitur, Reformationem statuit procul dubio in plurimis, etsi non in omnibus ⁽³⁾ archi-

(1) Discrimen tenendum est *Ecclesiam* inter *singularem Rom.-Catholicam* et *Societatem Ecclesiasticam*. Tota enim Ecclesia Rom.-Catholica ex variis constat partibus, *Ecclesiis singularibus*. *Ecclesia singularis* est diocesis; quot igitur sunt Episcopi Rom.-Catholici, tot exstant *Ecclesiae singulares Rom.-Catholicae*. Sic Ecclesia Trajectina, *Parisiensis*, *Salisburgensis*, caet. *Societas Ecclesiastica* est pars quaedam, quae ab Ecclesia Rom.-Catholica se separavit.

(2) Sic a^o. 1853 PIUS Papa IX instauravit ordinem hierarchicum in patria nostra, sententiam secutus Reformationem omnem eversisse institutionem hierarchicam, a^o. 1559 comparatam. Eodem modo a^o. 1858 Capitula nova erexit in patria nostra, opinione fretus illa etiam Reformatione esse sublata.

(3) E. g. in Embricensi. Vid. *Bat. Sacr.* al.

diocesanos Trajectinae partibus, bona sustulisse terrena, non vero spiritualia, ita ut jurisdictione frui spirituali nec desierit nec desinere potuerit, atque ante schisma ab ipsa etiam Sede Apostolica nequaquam tamquam Missio tractata sit. Exemplo adducto primorum saeculorum Ecclesiarum, quas omni destitutas splendore externo, dirissimis persecutionibus afflictas, nemo certe collapsas dicere audeat, probabant Trajectini Ecclesiam clade externa nequaquam everti. Ostendebant nec Sedem Apostolicam nec Ecclesiam Rom.-Catholicam Ecclesiam Trajectinam, externis destitutam divitiis, hierarchia etiam spirituali orbatam, semper habuisse. Tali modo Clerus Trajectinus sibi *perdurationem* postulat eorundem *jurium ac privilegiorum*, quibus ante Reformationem fructus erat, et quibus adhuc caeterae utuntur Ecclesiae singulares Rom.-Catholicae, quarum gubernatio immediata haud pertinet ad Summum Pontificem.

V.

Ecclesia Trajectina nequaquam *Ecclesiola* vel *Secta* quaedam particularis, ab universa Ecclesia Rom.-Catholica separata, dicenda est ⁽¹⁾. *Doctrinam* habet et *mores, ritusque* eosdem, quos universa Ecclesia Rom.-Catholica ⁽²⁾. In omnibus cum Ecclesia Rom.-

(1) Propterea semper Trajectini sese Jansenistarum opponunt nomini, ne *secta* vidantur quaedam vel *societas ecclesiastica*. Sic d. 27 m. Dec. 1839, Archiepiscopus VAN SANTEN epistolam ad Clar. H. E. VINKE conscripsit de *Jansenistarum* nomine, quo Vir Clarissimus, morem secutus communem, usus erat in Oratione sacra d. 17 m. Oct. eod. anno.

(2) Vid. *Acta et decreta Synodi Cleri R. Cath. prov. Ultr. a^o. 1763.*

Catholica laudat principium formale: *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus*. Alia quam Rom.-Catholica nec esse nec videri cupit; unitatem etiam externam cum Ecclesia Rom.-Catholica prorsus necessariam aestimans ad salutem aeternam (1); verum divinitus impositum sibi esse putat officium jura sua defendendi, patrumque haereditatem propugnandi. Hanc ob causam formulae ALEXANDRI et Constitutioni Unigenitus subscribere recusat, et schismatismi vel haereseos suspicionem, quamvis admodum illam lugeat, potiorum esse ducit perjurio. Trajectini sese conjunxerunt cum iis, qui in Gallia propter constitutionem Unigenitus, ad concilium appellarunt futurum generale, qua vero appellatione nequaquam a legibus Ecclesiae Rom.-Catholicae deviare se existimant. Verum Ecclesiae Trajectinae conditio suam haud debet originem Jansenismo.

Ante annum 1702 quaestio de Ecclesiae Tra-

Formulae ALEXANDRI et constitutionis Unigenitus recusat Clerus Ultr. subscriptionem, quoniam illam pugnare existimat cum Ecclesiae Rom.-Cath. doctrina et principiis. Eodem modo a doctrina Ecclesiastica postulari credit suam existentiae et jurium defensionem, quam vero intermitteret, si forte jubeat Ecclesia. Praeter quaestionem de formula, de constitutione et de juribus ecclesiasticis haec Trajectinos inter et caeteros Rom.-Catholicos, in patria nostra, intercedit discrimen quod Cleri *templa* simpliciora sint, quod multae vernaculo sermone habeantur *orationes sacrae*, quod *mores* sint severiores, inprimis quoad *jejunium*, et quod in *baptismo* et *extrema unctione* sermo usurpetur Belgicus, (non ita in *communione*, *liturgiis* et *precibus ecclesiasticis*).

(1) Vid. praeter al. (P. BUYS) *Inlichting tot de ware en alleen-zaligmakende Godsdienst, aangewezen in brieven en gesprekken*. Utrecht 1818.

jectinae post Reformationem existentia vel ever-
sione, saepius quidem mota, non vero a parte Sedis
Apostolicae soluta prorsus videbatur. Illo vero
anno CLEMENS Papa XI palam Trajectum tamquam
Missionem tractavit, cui agendi rationi restitit
Ecclesia Trajectina. Nec Sedes Apostolica
nec Ecclesia Trajectina cedendum ducebat. Curia
pontificia excommunicationibus Trajectinos ad aliam
adducere agendi rationem frustra conabatur; permulti
quidem perterriti Ecclesiae Ultr. dereliquerunt castra,
verum nostris adhuc diebus Clerus exstat Trajec-
tinus, doctrina et moribus prorsus Rom.-Catholicus,
fidei ac virtutis monumentum, ab omnibus venerabile
dicendum, quomocunque de dogmate judicetur
Catholico, cum S. Scriptura comparato.

Illius igitur Catholicorum in patria nostra partis,
quae Ecclesiam Cath. Reformatione collapsam esse
et eversam strenue negabat ac negat, atque hanc ob
causam inde ab anno 1702 a Sede Apostolica
tamquam Schismatica vel Haeretica excommuni-
cata est, historiam brevi adumbrare in specimine
Academico liceat. Concinnitati studendum. Historicam
magis factorum expositionem dedi, quam canonicam
et dogmaticam Cleri apologiam. Quoniam vero Ec-
clesiae Trajectinae causa, uti vidimus, tam arcte
cohaeret cum iis, quae ante schisma anni 1702, post Refor-
mationem, Ecclesiae Catholicae in patria nostra
fuerint fata, conspectum praemittendum duxi historicum
de fatiis illis, inde ab anno 1580, usque ad schisma.
Specimini indicem adjiciendum habui optimorum libro-
rum qui, a Clero Trajectino editi, jura tractant
et historiam Ecclesiae Ultrajectinae. Index ille

simul nimirum in specimine citationum vicem supplere poterit.

VI.

Animadvertendum est universe, in prioribus imprimis saeculi proximi decenniis, Ecclesiam Trajectinam plura dedisse ac majora opera apologetica, quam postea; quod vero facile explicari potest. Tunc enim nova res multorum excitavit attentionem. Tunc permulti, e *Gallia* et *Belgio* profugi viri docti, Trajectinis auxilium praestabant; tunc Trajectini sacerdotes in *Universitate* adhuc *Lovanensi*, edocti sunt. Quantum autem vita Academica in Universitatis, multis doctoribus egregiis adornatae, sinu, institutioni praevaleat Seminarii exigui, sponte intelligit etiam is, qui numquam Albo fuerit inscriptus Academico. Praeterea observandum est Ecclesiam Trajectinam quinquies mille tantum constare hominibus, quorum plurimi inter eruditos haberi nequeunt. Pastoribus vero negotia pastoralia, etiamsi parvae sint parochiae, multum detrahunt temporis, imprimis propter vigilantiam adversus caeteros Rom.-Catholicos adhibendam sacerdotes. Paucioribus etiam quam antea, tam intra quam extra patriam nostram, Ecclesiae Trajectinae fata cordi erant; — ita ut Clerus stimulum illum defensionis pedetentim amiserit. Nostra profecto aetas, omnia inquirendi studio ducta, curam etiam historiae Ecclesiae Trajectinae gerere coepit; quod vero magis Protestantes ⁽¹⁾ quam Pontificios spectat, — Trajecti-

(1) Inter illos: Dr. J. C. W. AUGUSTI qui de Archi-dioecesi Ultr. scripsit (partim Belg. vers. sub titulo: *Over het Aartsbisdom Utrecht*.

norum vero magis interest his quam illis orthodoxiae edere documentum, quoad jus canonicum et doctrinam.

Si quis specimini huicce in culpam vertendum aestimat quod nonnullae partes nimia concinnitate sint expositae, animadvertat historiam quam conscripsit nob. DUPAC DE BELLEGARDE (1) ad annum tantum procedere 1784. Caetera igitur ex archivis, libellis, epistolis, documentis colligenda erant. Vandalismus, qui, saeculo exeunte proximo et ineunte nostro, tot tantaque delevit documenta, nonnumquam, quominus omnia colligi possent, impedivit. Praeterea illo tempore, quo politicae magis quam ecclesiasticae res omnibus cordi erant, Ecclesiae exiguae fata haud ita memorabilia esse potuerunt. Nequaquam vero indagacionem ad finem jam esse adductam censeo, et eruditiorum attentioni rem commendo.

Historiam Ecclesiae Ultrajectinae post annum 1702 tribus partibus dividendam duxi. Prima periodus inde a schismate usque ad CORNELIUM STEENOVENIUM (Steenoven) Archiepiscopum Trajectinum, Ecclesiam proponit Trajectinam, existentiam suam et jura defendentem, quamvis, orbata Episcopo ordinario, sine exterarum Ecclesiarum auxilio sibi providere in omnibus

Ultr. ANDRIESSEN 1833. Vid. etiam. In diario: *Theol. Quartalschrift*. (Tub. Jahrg. 1825 1^o h.) al.

In patria nostra Protestantes, nostris diebus, praeter *Specimen* doctissimi BENNINK JANSSONII, de Clero Trajectino scripserunt: H. M. C. VAN OOSTERZEE a^o. 1855, in appendice ad diarium: *Kerkelijke Courant*. BUSKEN HUET in diario: *La seule chose nécessaire*; atque qui opus inchoavit, non vero perfecit: Dr. VAN DER MEE DE WIJS.

(1) *Histoire de l'Eglise métropolitaine d'Utrecht*.

rebus administrandis ecclesiasticis haud posset. Secunda periodus, inde a STEENOVENII consecratione usque ad BIJEVELDUM (¹), Episcopum consecratum Daven- triensem, aº. 1758, Ecclesiam Trajectinam tractat, quae, Sedibus duabus repletis Suffraganeis, curam gerebat de sua haud interrupta existentia, Sede invita Papali. Tertia, ab anno 1758 usque ad hosce dies, fata Ecclesiae, postquam omnia, quae perdurationis suae postulabat cura, impetrasset, enarrat.

Conspectum vero historicum de Ecclesiae Catholicae fatis, post Reformationem ante schisma, in patria nostra, inprimis existentiae et erga Sedem Apostolicam conditionis ratione habita, praemittere liceat.

(¹) Vulgo dicitur BIJEVELD.

SECTIO II.

CONSPECTUS HISTORICUS DE ECCLESIA ROMANO-CATHOLICA
IN PROVINCIIS FOEDERATIS, POST REFORMATIONEM,
ANTE SCHISMA ANNO MDCCLII INTRODUCTUM.

I.

Brevi post novum, a^o. 1559 in patria nostra introductum ordinem hierarchicum, quo dioecesis Trajectina, Coloniensi detracta, in archi-dioeceseos locum collocata est, cui dioceses Harlemensis, Daventriensis, Leovardensis, Groningana et Middelburgensis suffraganeae erant adjunctae ⁽¹⁾, Reformatio pristinum delevit Catholicismi harum regionum splendorem. Ecclesia Trajectina, cui et ex institutione primaeva ⁽²⁾, et ex Imperatoris CONRADI III a^o. 1145 privilegiis, et ex EUGENII Papae III

⁽¹⁾ Vid. *Batavia Sacra* II p. 2—10.

⁽²⁾ Vid. praeter alios: VAN ESPEN, *Vindiciae resol. Doct. Lov. disq.* II §. 1.

privilegia illa confirmantis diplomate, a^o. 1146 (1), et ex concordiiis Germanicis a^o. 1447 constitutis (2), jus contigebat eligendi sibi Episcopos, per Capitulum *S^{ti}. Martini* et *S^{ti}. Salvatoris*, quibus postea capitula adjuncta sunt *S^{ti}. Petri*, *S^{tae. Mariae}* et *S^{ti}. Joannis Baptistae*, suffragia, a^o 1528, quum HENRICUS BAVARUS sedem occuparet Trajectinam, dominium temporale CAROLO V tradidit et illius legitimis successoribus, ducibus Brabantiae et comitibus Hollandiae (3). Simul cum illa *temporalitatis translatione* CAROLO et successoribus jus concessit, Sede vacante Episcopali, ad Episcopatum aliquem nominandi, a Capitulis ita eligendum ut neminem nisi quem nominasset Princeps, eligerent. Quum novi a^o. 1559 erigerentur Episcopatus, PAULUS Papa IV CAROLO V, d. 12 m. Majo 1559, jus concessit ad Episcopales nominandi Sedes, nulla de electione a Capitulis mentione facta. Illa vero jurium capitularium violatio ipso facto quidem Ecclesiae Ultr. haud nocuit, quia CAROLUS Imperator eodem, quo inde ab a^o. 1528 fecerat modo, d. 20 m. Sept. 1560, nominatum FREDERICUM SCHENCKUM ex Baronibus de Toutenburg, capitulis proposuit ut *debite* illum Archi-episcopum eligerent, assumerent et praeficerent (4).

(1) Vid. diploma illud in: *Defens Eccl. Ultr. per J. C. ERCKELIUM*, mon. 1. al.

(2) Vid. bulla SIXTI Papae IV, qua declaratur Ecclesiam Ultrajectinam illis contineri concordiiis Germanicis in *Def. Eccl. Ultr. per ERCK. mon. 5.*

(3) Vid. *Bat. Sacra* I p. 240--244. CLEMENS Papa VII illam *temporalitatis translationem* probavit, d. 20 m. Aug. a^o. 1529. BROEDERSEN, *Tract. Hist. II. Def. Eccl. Ultr. per ERCK. §. XIV al.*

(4) Vid. *Bat. Sacra. II p. 11.*

SCHENCKO Archi-episcopo, d. 25 m. Aug. 1580, mortuo, Ecclesia Catholica Belgica ad miserrimam, quod ad externum, formam et conditionem redacta est. Principis GUILIELMI I conatus, ut in divinis eadem prorsus fruerentur Rom.-Catholici et Protestantes libertate, felici carebant eventu, propter populi ac procerum multorum renixum, qui in prorsus evertenda tantum religione Catholica, unicam ad constantem Protestantismi libertatem, viam inveniri putarent (1). Decretis invititis et mandatis publicis, Catholicum prohibentibus cultum publicum (2), millia hominum Catholicismo addicti remanserunt, et persecutionibus decrescentibus, ostenderunt quot quantique ad Reformatos transire noluisent. Inter illos 600 fere ecclesiastici erant saeculares, tam in ducatu *Clevensi*, quam in cacteris *Archi-dioeceseos Ultrajectinae* partibus. Ordo hierarchicus non erat inversus et Catholicismo remanserat id quod Ecclesiae postulat perduratio, *grex*, nempe *pastori adunatus*. Permultis quamvis amissis terrestribus bonis (3) Ecclesia ipsa existere haud desiit (4). Unaquaeque dioecesis, Sede Vacante Episcopali, vicarios suos generales, archipresbyteros saltem et pastores retinere

(1) Vid. L. G. VISSCHER: *Voorlezingen over de geschiedenis der Roomsch-Kath. Kerk in Noord-Nederland*.

(2) Ibid. 6^e voorl. p. 18—24. Inprimis animadvertendum decretum datum d. 20 m. Dec. 1581.

(3) In nonnullis partibus archi-dioeceseos, c. g. in *Embricensi* et *Clevensi*, bona etiam supererant terrestria, ita ut apertum sit ipsam archi-dioecesin haud esse eversam, etiamsi a possessionibus terrestribus Ecclesiae penderet existentia.

(4) Vid. BROEDERSEN *Tract.* IV, Cap. I—III. VAN ESPEN: *Vindiciae Resol. Doct. Lov. disq.* I. § 1—6, disq. III. *Seconde Apologie de l'Evêque de Babylone* § IX. DUPAC. p. 72 sqq. al.

potuit, electos illos vel ab ipsis capitulis, vel *jure devolutionis* a capitulo metropolitano, qui dioeceseos curam gererent jurisdictionis, etsi non ut antea publice (1).

II.

Capitulum Ultrajectinum metropolitanum Reformatione non esse sublatum patet (2). Usque ad annum 1622, etsi pedetentim plurimi e canonicis ad Reformatos transierint, et canonicorum defunctorum loco Protestantes plerumque electi sint, qui praebendis fruerentur sub canonicorum nomine, Catholici etiam electi sunt canonici. A^o. vero 1622 ab Ordinibus

(1) Quia propter A catholicorum decreta, Episcopis mortuis, non statim ad successores eligendos transiri potuit, sedes *Ultrajectina* vacavit a^o. 1580, SCIENCKO mortuo; *Harlemensis* a^o. 1581, CODEFRIDO A MIERLO mortuo, qui jam a^o. 1578 aufugerat; *Daventriensis* a^o. 1577, EGIDIO DE MONTE mortuo, a^o. 1589 GISBERTUS KOEYERINCKS electus quidem est, sed numquam consecratus; *Groningana* a^o. 1603, ARNOLDO NYLIO mortuo, qui jam a^o. 1594 *Bruzellas* confugerat; *Leovardensis* a^o. 1530, CUNERO PETRI mortuo; *Middelburgensis* a^o. 1616, CAROLO PHILIPPO DE RODOAN mortuo, qui a^o. 1600 consecratus, propter persecutionis vim, *Middelburgiae* numquam habitavit et ad sedem promotus est *Brugensem*, numquam vero cura dioeceseos *Middelburgensis* prorsus neglecta, neque *Jesuitis*, qui illam rogaverant, tradita. — Sede vacante, dioecesis *Trajectina* gubernata est a vicariis, a capitulo metropolitano electis; *Harlemensis* a vicariis etiam a capitulo suo constitutis; *Daventriensis* a vicariis, usque ad a^o. 1665, quam ultimus capituli decanus diem obiit supremum; capitulum illud a^o. 1591, *Daventria* a Principe MAURITIO capta, *Aldenzaliam* translatum est; *Leovardensis* mox capitulo orbata est, et jure devolutionis gubernata a capitulo *Harlemensi*, postea *Ultrajectino*; *Groningana* eandem quam *Leovardensis* habuit sortem; *Middelburgensis* gubernata a vicariis generalibus capituli metropolitani.

(2) *Vindiciae Resol. Doct. Lov. disq. III S. 6. 7. BROEDERSEN: Tract. Hist. I. al.*

Trajectinis constitutum est ut novi non amplius assumerentur canonici Catholici, quamvis qui illo anno superstites adhuc erant canonici Pontificii, usque ad mortem suam, praebendis frui possent. Secundum illud decretum VAN DER STEEN usque ad annum 1680 supererat canonicus Rom.-Catholicus, ita ut in illo saltem capitulum sit reservatum. ⁽¹⁾ Quoniam vero, ex jure canonico Rom.-Cath., praebenda vel canonicatus est *spirituale jus proventus recipiendi* ⁽²⁾, canonicorum et capituli existencia non pendet e bonorum terrestrium jactura. A^o. 1582 Ordines Trajectini Capitularibus conciones habere permiserunt de rebus ecclesiasticis. ⁽³⁾ Archivis Trajectinis continue probatur in rebus gerendis promptos fuisse canonicos. CLEMENS Papa VIII a^o. 1603 SASSOLDI jus tribuit, uti postea ROVENIO, canonicatus conferendi in Ecclesia Trajectina ⁽⁴⁾. Et SASSOLDUS canonicos constituit ⁽⁵⁾ et ipse Pontifex ⁽⁶⁾. Archiepiscopus Mechlensis ⁽⁷⁾, omnesque qui

⁽¹⁾ Secundum jus canonicum Rom.-Cath. in uno etiam viro collegium existere pergit. BROEDERSEN l. l. art. XIV. *Dissert. de misero statu*, cap. II. Canonici Protestantes etsi praebendis fruenterentur, veri canonici haberi non poterant a Catholicis.

⁽²⁾ BARBOSA *de canon.* Cap. 41, no. 15.

⁽³⁾ BROEDERSEN l. l. art. VIII ex BORRIO.

⁽⁴⁾ BROEDERSEN l. l. *Protestatio denuo asserta* p. 19. *Def. Eccl. Ultr.* per ERCK. mon. 57. HOYINCK, append. mon 14, al.

⁽⁵⁾ ERCKELIUS, in *Def. Eccl. Ultr.* per multa monumenta hac de re ex Archivis typis mandavit c. g. mon. 80.

⁽⁶⁾ Sic a^o. 1617 CAROLUS DE TROGNEY a Pontifice constitutus est Archidiaconus Trajectinus. De turbulenta, qua hocce munere functus est ratione, hic non est dicendum. Vid. *Defens. per ERCK*, mon. 86, 88, 94. BROEDERSEN. *Tract.* l. Not. 2. al.

⁽⁷⁾ Vid. BROEDERSEN l. l. VAN ERCKEL l. l. al.

de rebus Catholicis audiendi sunt, Jesuitae etiam ⁽¹⁾, veros fuisse agnoverunt post Reformationem canonicos Trajectinos. Capitulum igitur metropolitanum perduravit; quando vero existere pergit capitulum, Ecclesia ipsa interiisse dici non potest. Capitulum Ultrajectinum una cum Vicariis jurisdictionem exercuit spirituales, ita ut illa, quae in primis post schisma in Ecclesia Trajectina a^o. 1702 introductum invaluit, opinio acsi Reformatio deleverit Ecclesiam Catholicam in patria nostra, falsa procul dubio sit habenda.

Neque Sedem Episcopalem everterat Reformatio, in dioecesi *Trajectina*. SCHENCKO mortuo vacare illam tantum omnes videbant. Quia historia ipsa deinde illud de Sedis Episcopalis eversione commentum aperte negabit, brevis hac de re annotatio satis haberi potest. HERMANNUS, comes Renebergensis (+ 1592), deinde JOANNES BRUHESIUS (+ 1600) ad Sedem Trajectinam a PHILIPPO II nominati sunt ⁽²⁾. Neuter quidem consecratus est, et ALBERTUS, Archidux Austriacus, frustra etiam BRUHESIUM eo adducere conatus est ut SASBOLDO suam traderet nominationem, verum ipsa quam fecit PHILIPPUS II ⁽³⁾, uti et principes,

(1) Sic, uti monet BROEDERSEN l. l. art. XII, in libello quodam a Jesuita F. DE MONTMORENCY conscripto a^o. 1624: *Annotata quaedam memoriae causa, quae faciunt ad rectam intelligentiam concordati inter Rever. Vicarium Holl. et Patrem Provinciale Soc. Jesu, Rom-Catholici WACHTELAERIUS et VOSSIUS canonici dicuntur Trajectini.*

(2) *Bat. Sacr.*, II. p. 44.

(3) PHILIPPUS II etiam d. 4 m. Aug. 1591 SASBOLDUM VOSMERUM ad decanatum *Hagiensem* nominavit ut debite eligeretur a capitulo, — quod certe fieri haud potuisset quando Ecclesia Ultr. jam in

ALBERTUS atque ISABELLA, nullam aliam nisi Trajectinam spectare poterat Ecclesiam, atque igitur Ecclesiam Traj. non esse deletam aperte probat.

III.

Quum ita Ecclesia Trajectina, quamvis oppressa, Reformatione non esset deleta, jurisdictio etiam atque ordo hierarchicus servata sunt. Sede Trajectina vacante, Vicarii generales, a capitulo metropolitano electi, hierarchiae curam gerebant ⁽¹⁾. SCHENCKO mortuo JOANNES BRUHESIUS capituli metropolitani Vicarius electus est ⁽²⁾. BRUHESIUS e patria pulsus, quia in Principem invecus erat Arausiacum ⁽³⁾, duos alios constituit canonicos qui vicariatus fungerentur munere; quibus mortuis, SASBOLDUS VOSMERUS

teriiisset. De Missione enim Belgica, nisi novâ quadam, Regem inter et Pontificem, concordia, PHILIPPUS nullam haberet auctoritatem.

(1) Secundum Ecclesiae Traj. veteres constitutiones is qui, mortuo Episcopo, decanus esset capituli, vel eo absente, qui per plurimum temporis fuisset canonicus, eo ipso, donec Capitulum sibi elegisset vicarium, vicarius generalis vacante Sede erat, ita ut numquam sine praeside esset collegium, cui cura dioeceseos una cum Episcopo commissa. BROEDERSEN: *Tract. I*, mon. 1.

(2) Plura vicariorum generalium illo tempore occurrunt nomina; e. g. RUCHO A MONTZYMA, praepositus s^{ci} Joannis, et JOANNES A RENESSE, ejusdem Capituli canonicus ita dicuntur. Tenendum vero, antiquam Capituli Ultr. constitutionem fuisse ut, Sede vacante, unus e quinque capitulis vicariatus generalis officio vicissitudinaliter per annum fungeretur, — quam a^o. etiam 1602 confirmavit Capitulum. *Def. Eccl. Ultr.* per ERCK p. 33 et mon. 19.

(3) HOYINCK *Hist. Cap. V*.

Kal. Maj. 1583, Vicarius generalis Capituli, Sede vacante, electus est. (1).

Vicarius vero generalis Capituli nequaquam tantam habebat potestatem, quanta omnia perficere posset, quae cura rogabat ordinis hierarchici. Sedes Apostolica, postquam studium increvit singularum Ecclesiarum imminuendi potestatem et ditionem, multas sibi vindicavit et servavit facultates ac dispensationes, ad quas accipiendas vel solvendas singulari opus est decreto papali. Quae agendi ratio potestatem Sedis Apostolicae procul dubio mirum in modum adauxit, cum magno singularum Ecclesiarum detrimento. Quum vero, saeculo exeunte XVI, Catholicorum in patria nostra, tam misera esset conditio ut saepe difficillimum vel periculosissimum videretur Summum adire Pontificem, alio quam solito modo illae tractandae erant *reservationes papales*. SASBALDO igitur, Vicario Capituli generali, a Summi Pontificis parte, Vicarii etiam Apostolici tradita est potestas, circa a^o. 1592, ita ut quaestiones etiam reservatas solvere posset (2). Vicariatum illum Apostolicum a Vicariatu Capituli esse discernendum patet. Vicariatus Apostolicus facultas erat a Pontifice

(1) OCTAVIUS, Nuntius Apostolicus Coloniensis SASBOLDUM hacce dignitate ornatum agnovit. NEERCASSELIVS a^o. 1665, in *descriptione Ecclesiae Ultr.*, quam Internuntio ROSPIGLIOSI tradidit, dicit SASBOLDUM a canonicis vicarium esse electum.

(2) *Relatio* TORRII a^o. 1656, dicit SASBOLDUM a^o. 1583 a GREGORIO XIII constitutum esse vicarium apostolicum. HOYINCK hac in re TORRIUM sequitur. BROEDERSEN vero a^o. 1592 illud accidisse probat, ROVENII secutus *descriptionem ordinis hierarchici*. Vid. BROED. l. 1. Notat. 1, 2 et 3, ubi etiam de discrimine Vicariatuum inter apostolicum et capituli accurate agitur.

tradenda vel auferenda suo arbitrio, Vicariatus vero Capituli e canonicorum pendeat suffragiis. Prior dignitas praemium ⁽¹⁾ quodammodo dicenda est, quo Sedes Apostolica nonnullos exornat, quum posterior nequaquam ad Pontificem pertineat. Anno 1583 SASBOLDUS electus est Vicarius Capituli, circa a^o. 1592 Vicarius Apostolicus. Quum a^o. 1602 SASBOLDUS Romam iret, CUYCKIUM Vicarium constituit Capituli, quod certe facere non potuisset nisi ipse a Capitulo potestatem Vicarii accepisset.

Neque vero Vicarius Apostolicus omnia perficere potuit, quae Catholicorum rogabat conditio. Ecclesia Rom.-Catholica, quae Ecclesiasticis *secundi ordinis* non omnia administranda permisit sacramenta, et v. c. *confirmationem* et *consecrationem sacerdotalem* Episcopis tantum concessit, in singulis Ecclesiis Episcopis eget. Probe illud tam Capitula et Vicarii, quam Principes PHILIPPUS II, ALBERTUS et ISABELLA perspiciebant. Regulares tantum peregrini Ecclesiastici, inprimis Jesuitae, qui inde ab a^o. 1592 ⁽²⁾ in patria nostra admissi erant, sese opponerent conatibus Episcopum Ecclesiae reddendi viduae. Universe observandum est Regulares Ecclesiasticos, Saeularibus saepe resistere, quoniam Superiores suos, Romae degentes, magis quam Ordinarios regionum in quibus admittuntur, tamquam dominos suos ac moderatores agnoscunt. Praeterea Jesuitarum semper conatus fuit, quocumque tandem consilio hic non est inquirendum, ut Sedis Apostolicae adaugerent

(1) Vid. DU VARLET, *Seconde Apologie*, 2^e p.: *la regularité de l'Élection et du Sacre de l'Archév. d'Utrecht* §. V et VI. al.

(2) Vid. BROEDERSEN. *Tract. Hist.* V. Cap. I.

auctoritatem et singularum imminuerent Ecclesiarum jura. In patria igitur nostra ordinariae jurisdictionis vim infringentes potius, quam firmantes, consilio restiterunt SCHENCKO eligendi successorem, quamvis Catholicorum, qui extraneos adire non poterant Episcopos, *confirmationis* et *consecrationis* causa, misera conditio, Episcopi postularet auxilium. Strenue igitur Ordinariis restiterunt, cum ingenti gregis et pastorum jactura, atque pedetentim asseverare coeperunt nullum in patria nostra amplius esse Episcopi locum, eversa prorsus per Reformationem Ecclesia Rom.-Catholica. Jesuitae imprimis effecerunt ut, a^o. 1598, SASBOLDUS ad Sedem non fuerit nominatus Harlemensem. Omnes, ante schisma a^o. 1702 introductum, Vicarii Apostolici vehementer de illorum conquesti sunt agendi ratione. Frustra plures cum illis constitutae concordiae; constans erat illorum consilium Ordinariis abrogandi ac detrahendi jurisdictionem. SASBOLDUS ipse, d. 8 m. Mart. 1610, *Bruxellis* concordiam constituit cum Patre Provinciali Societatis Jesu FLERONTINO ⁽¹⁾. Jesuitae quidem promiserunt sese nulla in posterum exercituros esse munera pastoralia, nisi permittentibus Ordinariis, nihilominus vero, prorsus idem quod antea moliti. SASBOLDUS acriter de illis queritur. Palam et clanculum ordinem oppugnabant hierarchicum, Ordinarios Sasboldistas appellantes, impios Catholicos. Ad ultimos usque vitae dies SASBOLDUS in perpluribus, ad varios conscriptis epistolis, illos seditionis, arrogantiae, avaritiae, doctrinae laxioris, negligentiae et superbiae accusat ⁽²⁾.

⁽¹⁾ *Tract. Hist. V. p. 161. L. G. VISSCHER, 6^e Voorl. p. 73—78 al.*

⁽²⁾ BROEDERSEN *Tract. Hist. V. Cap. I—VII* ubi plures typis

IV.

Invitis vero Regularibus, de Episcopo eligendo cogitabant, uti RENEBERGII et BRUHESII aperte docebant nominationes. Illis certe temporibus multa pericula, si quis Episcopus eligeretur, imminebant. A parte Jesuitarum et caeterorum Regularium oppositio exspectanda. Protestantium animus ab hierarchia abhorrebat Rom.-Catholica. Lites, dissidiae, persecutiones vitari non poterant. SASBOLDUS vero, qui Vicarius jam Capituli per viginti fere, Vicarius Apostolicus per decem annos fuerat, onus suscipere ausus est. D. 22. m. Sept. 1622, Romae consecratus est, profecto illo proposito ut in archidiecepsi *Ultrajectina* Archiepiscopi fungeretur munere, sed ne A catholicis nimis offenderetur, sub alio quodam titulo *in partibus*. SASBOLDUS itaque Archiepiscopus *Philippensis* appellatus est (1). Ex ipsius SASBOLDI epistolis (2) patet illum a Clero Trajectino esse electum, ab Archiduce ALBERTO nominatum (3), a Summo Pontifice confirmatum, — ita ut omnia peracta essent sicuti postulabant regulae, quae in Archiepiscopo constituendo *Ultrajectino* observari consueverant.

datae sunt hac de re SASBOLDI litterae. BUYS: *Proeve van Antwoord*. al.

(1) Vid. diploma in *Def. Eccl. Ultr.* per ERCK. mon. 34.

(2) Vid. in operibus ERCKELII, BROEDERSENII caet. typis datae.

(3) Propter illam nominationem per Archiducem, reipublicae hostem, Ordines Supremi harum regionum Moderatores SASBOLDUM laesae accusarunt majestatis, et ex patria pepulerunt. Vid. *Def. Eccl. Ultr.* mon. 23. L. G. VISSCHER 6^e *Voorl.* p. 64—67.

Inde ab a^o. 1702 primarius Sedem Apostolicam inter et Clerum Ultrajectinum litis fuit cardo, utrum SASBOLDUS, et qui illi successerunt, sub alio titulo consecrati Episcopi, proprii et ordinarii fuerint Ultrajectini necne. Si enim fuerint ordinarii certo non eversa jam fuit Ecclesia. Si vero tantummodo tamquam Vicarii Apostolici jurisdictionem exercuerint, patet SASBOLDI jam tempore Sedem Apostolicam illam, quae post Reformationem in patria nostra supererat, Catholicismi partem tamquam Missionem tractasse. Brevi igitur hac de re videamus (1).

DESIRANTIUS Jesuita SASBOLDUM ordinarium Ultrajectinum, aequae ac ilius successorem ROVENIUM agnoscit, (2) non vero caeteros. (3) SASBOLDI vero electio et nominatio nullam nisi *Trajectinam* sedem spectare poterant, quia nec Clero Trajectino neque Archiduci ALBERTO ulla de Archi-episcopatu Philippensi potestas concessa erat. (4) Ipse SASBOLDUS

(1) Cons. imprimis, VAN ESPEN: *Vind. Res. Doct. Lov. disq.* II. BROEDERSEN *Tract.* III, Cap. 1—5, 16, 17, caet. BOULENOIS *Mémoire pour l'Eglise et le Clergé d'Utrecht.* — *Def. Eccl. Ultr.* per ERCK. *Seconde Apologie de l'Evêque de Babylone* p. II. caet.

(2) In op: *Consolatorium*, quod a^o. 1709 edidit adversus protestationem, quam in lucem emiserat Ecclesia Ultr. Ita quoque ARBORETS Jesuita de SASBOLDO cogitavit, quum d. 7 m. Jun. 1610, illi congratularetur de promotione ad sedem *Trajectinam* et explanationem rogaret de concordia cum FLERONTINO inita. Vid. *Def. Eccl. Ultr.* per ERCK. mol. 60. Sic. Jesuita DULMENIUS al.

(3) HOYINCK in *Historia* sua, a^o. 1725, tam de SASBOLDO quam de ROVENIO negat. Sic omnes deinceps qui Ecclesiae restiterunt Trajectinae. Fatendum est, si de SASBOLDO constat, item de caeteris usque ad CODDAEUM.

(4) Opinio quod *Philippensis* titulus inde sit explicandus quod a

scripsit Pontificem dixisse "quod cuperet me alio
 "quaesito titulo promoveri ne haereticos exacerbaret, —
 "alioquin consecraret me illi populo," — et addidit:
 "prohibuerunt consistoriali lege ne *Philippis* ullam
 "jurisdictionem exercerem, addentes, quod, quando pla-
 "ceret Archi-ducei, possem mutare titulum, *Ultrajecti-*
num pro *Philippensi* assumens." (1) Ipse Archi-epi-
 scopi *Ultrajectini* saepissime functus est munere et
 usus est titulo, quamvis ante a^o. 1609 minus quam
 deinceps (2) Clerus Trajectinus illum tanquam
 ordinarium agnovit; sic plurimi horum dierum
 historiographi (3); sic cardinalis PINELLIUS, Archi-
 episcopus Mechlensis, et omnes qui cum illo habuerunt
 commercium. Numquam SASBOLDUS, uti recte ani-
 madvertit ESPENIUS, celeberrimus Lovanensis juris
 canonici doctor, sese tanquam Episcopum *in partibus*,
 quod certe fuit, nisi ordinarius fuerit *Trajectinus*,
 gessit, neque *relationem* tradidit de Ecclesia *Philippensi*,
 cujus titulum acceperat. Nulla certe aderat causa,
 cur non ad sedem Trajectinam promovendus esset
 SASBOLDUS, etiamsi A catholicorum animus et temporum
 conditio alium quemdam assumere titulum suaderent.

parte PHILIPPI Regis constituti sint Archi-episcopi SASBOLDUS et
 ROYENIUS nulla attentione digna est.

(1) *Def. Eccl. Ultr.* p. 6. Idem SASBOLDUS scribit in epistolis ad
 TILLMANNUM fratrem a^o. 1613, ad BODEGEMUM a^o. 1608. al.

(2) *Ibid.* §. I. mon. 35, 38, 39, 40, 41, 43, 44, 46, 51, 52,
 53 caet. Tanquam ordinarius *Trajectinus Embricensem* visitavit
 regionem, *Lovaniae* a^o. 1613 collegium erexit, duos sacrarum Vir-
 ginum domos, *Embricensem* et *Eltensem*, in unum conjunxit, caet.

(3) E. g. HOOTT, BOSSCHAERTS: *de primis veteris Frisiae Apo-*
stolis. BEYERLINCK *Chronieken*. VAN LEUVEN, *Bat. Illustrata*.
 BAISIUS, *Belgia Chr.* caet.

Procul dubio igitur SASBOLDUS ordinarius fuit Ultrajectinus.

V.

GODEFRIDO A MIERLO, NICOLAI NOVATERRANI, (s. de Novaterra, Nieulandt) successore, a^o. 1587 mortuo, Capitulum etiam *Harlemense* Vicarios suos nominaverat qui, Sede vacante, dioecescos curam gererent. A^o. 1588 GUILIELMUS COPALLIUS electus est Vicarius Capituli. Clerus autem *Harlemensis*, inprimis ut *confirmationis* sacramentum rite administrari posset, Episcopum ad Sedem vacantem eligi cupiverat. (1) PHILIPPUS II vero, cui etiam potestas nominandi ad sedem *Harlemensem* concessa erat, propter temporum conditionem, ad illam Sedem aliquem nominare recusabat. A^o. 1593 Capitulum *Harlemense* elegit *quemdam*, verosimiliter SASBOLDUM VOSMERUM (2), qui numquam vero, *Harlemensium* conatibus invitus, ad Sedem promotus est *Harlemensem*. Jesuitae, uti a^o. 1598, inprimis illi restiterunt conatui. A^o. 1601 iterum de Episcopo constituendo *Harlemensi* sermo fuit, ad quam dignitatem propositi sunt TILLMANNUS, SASBOLDI frater et JANSONIUS Lovanensis. Tunc vero etiam irriti cesserunt conatus. SASBOLDUS, qui Vicarius Capi-

(1) *Causa Eccl. Harl.* App. mon. 2. 3. 4.

(2) Ut electio secreta maneret, A catholicorum metu ducti, canonici tesseris suffragatorias combusserunt, ita ut electi non divulgaretur nomen. Ille electus esse videtur et propter summum, quo SASBOLDUM habebant *Harlemenses* locum, et propter SASBOLDI agendi rationem, qui illa etiam electione inductus est ad ordinarii *Harlemensis* obeundum munus.

tuli metropolitani et Vicarius Apostolicus, jam antea nonnumquam *jure devolutionis* dioeceseos *Harlemensis* curam gesserat, quando Capitulum *Harlemense* canonica exsequi officia neglexisset (1), inde ab eo tempore, quo Archi-episcopus constitutus erat, Ordinarii simul *Harlemensis* fungebatur officiis tam propter jura, quae habebat Episcopus Metropolitanus, quam propter electionem, quam a^o. 1593 fecerat capitulum *Harlemense*. Sedes igitur *Harlemensis* vacare pergebat usque ad annum 1742. Vicarii Capituli una cum Vicariis Apostolicis curam gerebant dioeceseos, usquedum a^o. 1616 capitulum *Harlemense*, uti postea cum ROVENIO, SASBOLDI successore, potestatem ordinariam Episcopalem concordiam inita tradidit.

De caeteris, a^o. 1559, erectis in archi-dioecesi Trajectina Sedibus Episcopalibus hic non est dicendum (2), propter eam quam deinde illarum dioecesium Catholici, erga Sedem Archi-episcopalem, secuti sunt agendi rationem.

VI.

SALBOLDUS, qui exsul a^o. 1611 WACHTELARRIUM, MOERENDAELIUM et BOLIUM constituerat Provicarios, ut curam gererent rerum ecclesiasticarum, optimam duxit ad Catholicismum promovendum viam ut Coadjutor sibi adjungeretur cum succedendi jure. Jesuitae vero illud prohibuerunt consilium, quamvis

(1) Sic. e. g. EGGIUM (Eggers) Vicarium Constituerat Capituli Harlemensis.

(2) Vid. Supra pag. 20 not. 1.

canonici Trajectini Catholici ad illam Coadjutoris dignitatem tres jam nominassent. SASBOLDUS, d. 3. m. Majo 1614, diem supremum obiit ⁽¹⁾, atque morte illius, quem admodum lugebant probi harum regionum Catholici, Sedes vacabat Ultrajectina.

Qui ad Coadjutoratum a SASBOLDO designatus fuerat, PHILIPPUS ROVENIUS, a clero electus est ad Sedem Trajectinam, praesentantibus illum Principibus ALBERTO et ISABELLA ⁽²⁾, atque sex annis post, (a^o. 1620), a PAULO Papa V confirmatus. Verumtamen d. 11 m. Oct. 1614 Pontifex illum Vicarium Apostolicum constituit ⁽³⁾, et auctoritatem illi tradidit in divinis de omnibus harum regionum Ecclesiasticis, tam Regularibus quam Saecularibus, uti et facultatem omnes in Ecclesia metropolitana conferendi canonicatus, quod aequae ac illa, quam supra jam memoravimus, electio CAROLI DE TROGNEY ⁽⁴⁾, aperte docet PAULUM Papam V, non ita ut deinde fecerunt Pontifices, de ever- sione Ecclesiae Trajectinae cogitasse. D. 17 m. Oct. 1620 ROVENIUS Archi-episcopus consecratus est, iterumque ne in A catholicorum incurreret in- vidi- am, sub titulo *Philippensi* ⁽⁵⁾.

Eadem argumenta quae SASBOLDUM Ordinarium

⁽¹⁾ SASBOLDUS *Coloniae Agrippinae* sepultus est. Epitaphium illum Archi-episcopum appellat *Philippensem* et *Ultrajectinum*, — cui nomini perperam sese opposuit L. G. VISSCHER l. l. 6^e Voorl. p. 82.

⁽²⁾ Sic in *Relatione* TORRII a^o. 1656 Romam missa.

⁽³⁾ Vid. HOYINCK App. mon. 84 al.

⁽⁴⁾ Vid. Supra p. 21 not. 6.

⁽⁵⁾ Diserte dictum est in diplomate illum consecratum esse ut Episcopolia exerceret officia in provinciis Hollandiae et Zelandiae, proprio pastore orbatis. HOYINCK l. l. al.

fuisse *Trajectinum* probant, de ROVENIO etiam adduci possunt. Ille saepissime Archi-episcopum *Ultrajectinum* sese dixit ⁽¹⁾, concordiam confirmavit cum Jesuitis a SASBOLDO constitutam, et ab omnibus, in patria nostra, praeter regulares aliquot seditiosos, Ordinarius agnitus est ⁽²⁾.

Archidux ALBERTUS promiserat sese, post inducias (1609—1621) ad finem adductas, veniam daturum esse ut palam titulum ROVENIUS gereret *Ultrajectinum*; morte vero Princeps ne promissis staret prohibitus est. Clerus Ultrajectinus et Harlemensis, a. 1626, Regem Hispaniae rogavit ⁽³⁾, ut ROVENIO titulum concederet *Trajectensem* ⁽⁴⁾, sed, quandoquidem ROVENIUS titulo illo jam uteretur, nemine prohibente, publicam tantum comprobationem illius tituli palam gerendi, intelligamus necesse est. Ipse etiam, a. 1641, ad WACHTELAERIUM

(1) Vid. BROEDERSEN *Tract.* III Cap. V. *Def. Eccl. Ultr.* per ERCK. mon. 97, 98, 99, 101, 102, 103, 106, 108. caet.

(2) Extra patriam nostram plures jam esse coeperunt qui ROVENIUM non pro Ordinario habent, sed unice pro Vicario Apostolico. ROVENIUS ipse coram illis extraneis, e. g. BONIO Archi-episcopo Mechlensi, non satis aperte semper sese Ordinarium esse defendere ausus est; — quod vero potius ROVENII probat animi remissionem, quam adversariorum sententiam. Vid. HOYINCK App. mon. 27, 28, 29.

(3) HOYINCK App. mon. 30. *Def. Eccl. Ultr.* mon 78.

(4) Illam petitionem, Cleri nomine, Regi tradidit CORNELIUS JANSENIUS, qui, deinde Episcopus Iprensis, celeberrimus Jansenismi pater quodammodo factus est. Ille, qui a. 1622 ROVENIO consilium jam dederat ut Oratoriorum flagitaret adversus Jesuitas auxilium, ab Universitate Lovaniensi hoc tempore delegatus erat ad Aulam Regiam Hispanam. Quis fuerit itineris eventus, latet. ROVENIUS postea, haud secus quam antea, Archi-episcopum se dixit *Ultrajectinum*.

canonicum scripsit: «exstant litterae collationis nostrae
 «Episcopatus *Philippensis*, quibus etiam cura *Philippensium*
 in curam partium harum commutatur» (1).
 Propter ea, quae perfecit, Archi-episcopi *Ultrajectini*
 usus auctoritate, diem illi dixerunt Ordines *Ultrajectini*
 a^o. 1639, d. 5 m Oct. (2). Vix fuga periculo sese
 subrepsit. D. 10 m. Mart. 1640, tamen patria pulsus
 est, uti et d. 22 m. Majo, eodem anno, secretarius
 quem habuerat, MOOCKIUS.

VII.

Praecipuum ROVENII actum, in Ecclesiae *Ultrajectinae*
 commodum perpetratum, ansam postea dedit acerrimae
 liti *Trajectinos* inter et illorum adversarios *Ultramon-*
tanos. Ordines nempe *Trajectini*, a^o. 1622, defenderunt
 ne novi admitterentur Canonici Catholici, quamvis
 superstites, ad mortem usque, praebendis suis fructuri
 essent. Decreto illo Capitulum mox sublatum iri
 manifestum erat (3). ROVENIUS rite perspexit prohi-

(1) ERCKELIUS monet illas litteras nondum esse repertas. Tenendum vero, magistratum a^o. 1639, ROVENII rapuisse documenta, atque MOOCKII secretarii interfuisse, ut quotquot possent, delerentur monumenta, ut laesae majestatis vitaret accusationem.

(2) *Def. Eccl. Ultr.* per ERCK, mon. 110. *Bat. Sacra*. II p. 80, 81. *Daventria illustr.* VI p. 713 sqq. *Jaarb. voor Wetenschappelijke Theologie*, 1853. Instrumentum, quo diem dixit ROVENIO Praetor *Ultrajectinus*, vulgo *Intendit Praetoris* dicitur, et aequae condemnationis decretum, magnam seriem exhibet documentorum, in quibus ROVENIUS tamquam Ordinarius *Ultrajectinus* egerat. Est itaque fere brevis ROVENII historia.

(3) Vetus Capitulum 285 constabat canonicis et vicariis. A^o. 1656 adhuc superstites erant 12 Canonici Catholici, ante annum 1656 electi.

bendum esse ne Ecclesia Ultr., Capitulo orbata, robor suum et existentiam aliquando amitteret. Hanc ob causam, d. 9 m. Nov. 1633, Vicariatum erexit, qui juribus fruere et dignitate Capituli vel Senatus Ecclesiastici, Capitulum Cathedralium instar (1). Vicariatus vel Senatus Ecclesiae nomen adhibitum est ne A catholicorum moveretur invidia. Vicariatus erigendi consilium, et in primis illius per TORRIUM a. 1658 confirmatio, aperte docet verum Capitulum esse illum Vicariatum. Quoniam vero hac de re lis est, Trajectinos inter et illorum adversarios, fusius res explicanda videtur (2).

Septem ex optimis veteris capituli Canonicis in Vicariatum assumpti sunt, cum quatuor ex caetero Clero Trajectino, quorum tres, quarto mox mortuo, a ROVENIO Canonici sunt electi, ita ut omnes Vicariatus socii veri essent Canonici. Verum

VAN DER STEEN ultimus a. 1680 mortuus est. A. 1640 WACHTELARIO († 1653) proventus sublatus ab Ordinibus Trajectinis, quia cum ROVENIO Catholicismum nimis propugnauerat.

(1) Vicariatus ille discernendus est a Collegio pastorum Ultrajectinorum, quod ROVENIUS a. 1646 erexit, et quod erigere non potuisset nisi Ordinarii fruere Trajectini auctoritate. BROEDERSEN *Tract I* notat. 14. *Def. Eccl. Utr.* per ERCK. mon 17.

(2) De Vicariatu, vera et legitima capituli veteris continuatione et instauratione, vid. BROEDERSEN l. l. VAN ERCKEL, *Def. Eccl. Utr.* § VIII. *Seconde Apologie de l'Evêque de Babylone*, p. 187. VAN DER CROON adversus Archiep. Mechensem. *Dissert. de misero statu.* Cap. II. BOULENOIS, *Mémoire pour l'Eglise et le Clergé d'Utrecht*, Cap. II.

Vicariatus ille usque ad nostros dies incolumis servatus est, Capituli officio fungens. Hodie constat praeter Archi-episcopum octo Canonicis.

est plures ex veteri capitulo non in Vicariatum esse assumptos, nemo illorum vero hac de re conquestus est, ita ut ROVENIUS illorum opinionem cognosse censendus sit, saltem propterea, Vicariatu erecto, vetus non continuasse capitulum dici non possit.

Vicariatus semper Capituli muneribus functus est ⁽¹⁾. Omnes Vicarii Apostolici, usque ad CODDAEUM, illum, Capituli sibi vindicantem honorem et locum, confirmarunt ⁽²⁾, atque illum tamquam verum Capitulum tractarunt, saepe Vicariatus socios Canonicos dicentes. Non tantum ROVENIO Archi-episcopo, cui ipse Pontifex jus tradiderat (a^o. 1614) omnes conferendi canonicatus, licuit capitulum, uti in mente habuit ⁽³⁾, erigere, sed invitis etiam Ecclesiasticis Regularibus, Vicariatus saepissime tamquam verum Capitulum tractatus est et denominatus a multis, qui plurimum in Ecclesia Catholica valent, etsi HOYINCKIUS, et qui illum sequuntur, a^o. tantum 1702 Trajectinos de Capitulo nugatos esse asseverare haud dubitent. Ipse enim COCKIUS (de Cock), qui a^o. 1702, a CLEMENTE Papa XI CODDAEO substitutus est Provicarius, a^o. 1688 a capitulo metropolitano delegatus est *Romam*, et ibi capitulorum, quorum existentiam postea negare ausus est, tuitus est jura. JOANNES BAPTISTA BUSSIUS (de Bussy), Internuntius

⁽¹⁾ BROEDERSEN *Tract.* I art. XI caet.

⁽²⁾ BALDUINIUS CATZIUS solus vicariatum non confirmavit; sed brevi tantum vicarii Apostolici gessit munus, et de illius benevolentia erga vicariatum nullum dubium esse potest. METZIUS confirmavit a^o. 1659; NEERCASSELLIUS a^o. 1667; CODDAEUS a^o. 1705; POTCAMPIUS a^o. 1705. Vid. BROEDERSEN II. HOIJNCK App. al.

⁽³⁾ BROEDERSEN *Tract.* I. notat 9—14.

Bruxellensis, qui in Trajectinorum oppressione magnas egit partes, d. 21 m. Jun. 1702, Capitula Ultr. et Harl. praecelara Cappellavit (1), etsi d. 5 m. Febr. 1703, praetensa illa Capitula dicere auderet (2). Cum eodem illo BUSSIO a°. 1705 Capitula egerunt, quum de POTCAMPPIO constituendo Vicario Apostolico utraque pars consentiret. POTCAMPPIUS Capitulum agnovit Trajectinum. TORRIUS quidem, uti animadvertit HOYINCKIUS, in *relatione* sua, a°. 1656 oblata, de Vicariatu nullam fecit mentionem; ERCKELIUS tamen recte illud silentium inde explicat, quod Cardinalium *Romae* congregatio non valde probaret talem, quamvis legitimam, Ecclesiae Ultrajectinae jurium vindicandorum curam. Promiscue autem saepe de Vicariatu vel de Capitulo Trajectino loquuti sunt. A. 1668 et 1670 res erant Episcopales et Capitulares, quas NEERCASSELLIUS *Romae* tractaverit. A°. 1679 de Jesuitis conquerens ad Cardinales, de curis loquitur Capitulum Ultr. et Harl., uti a°. 1674 ad Internantium etiam fecerat. Qui deinde in Cardinalium susceptus est ordinem, CASONIUS, Capitulum agnovit Trajectinum; neque minus BONVICINI fecit, Congregationis de propaganda fide Rector, qui a°. 1689 ad Ultrajectinos scripsit et Harlemonses Canonicos. Vicariatus palam capitulum Trajectinum egit, quum, ut deinde videbimus, Sede vacante, Episcopus elegerit, confirmatos illos, numquam saltem propter illam electionem per Vicariatum, rejectos a Sede Apostolica.

(1) Id. mon. 35.

(2) Id. mon. 49.

VIII.

ROVENIUS, etsi in primis annis 1630 et 1636 novae imminerent Catholicis persecutiones, prae A catholicorum, Jesuitarum oppositionem expertus est. A^o. 1622 necesse duxit cum NICOLAO NOMIO, capituli Harlemensis decano, et BOLIO, canonico Ultrajectino, Romam ire. Jesuitae enim omnem ordinem hierarchicum in patria nostra eversum esse et sublatum, asseverabant. ROVENIUS commentum esse illud probabat, Jesuitas conaminis accusans, omnibus exclusis caeteris Ecclesiasticis, totum sibi vindicandi ordinem hierarchicum; capitulum et Ultr. et Harl. existere ostendit, et 400,000 adhuc Catholicos superesse aestimavit. Ex utraque parte multi oblata sunt libelli; plures Pontifices, Cardinales, Episcopi Belgici rem tractarunt (1). ROVENIUS tandem victor e pugna recessit; verum novâ concordia a^o. 1624 Jesuitas inter et ROVENIUM constitutâ invitâ (2), Jesuitae, qui alios quoque Regulares ad castra sua vocarunt, a conatibus suis haud destiterunt, antequam a^o. 1702

(1) *Def. Eccl. Ultr.* per ERCK. mon. 91 et 92. Quam ROVENIUS duos Cardinalibus obtulisset libellos, Jesuitae libellum dederunt cui titulus: *Repugnantia, quae notantur in diversis scriptis primo et secundo datis per Rev. Vicarium et suos Sacerdotes*. ROVENIUS contra illos libellum dedit: *Concordia repugnantium quae Patres Societatis perperam notant in diversis scriptis a^o. 1623 primo et secundo datis*. Jesuitae iterum dederunt: *Quae animadvertenda circa ultimum scriptum exhibitum a Rev. Vic. Apost. et duobus Sacerdotibus Hollandiae*, — cui libello ROVENIUS opposuit *Responsionem pro Clero ad Animadversiones super scripto ultimo Vic. Apost. per patres Soc. Jesu exhibitas*.

(2) Vid. BROEDERSEN: *Tract Hist.* V p. 250—265.

Sedes Apostolica Ordinariis harum regionum deripuerit omnem jurisdictionem ecclesiasticam.

Sedes Apostolica, cujus, post introducta inprimis decreta pseudo-Isidoriana, studium fuit constans, singularum imminuere Ecclesiarum privilegia, jure canonico, concordis, bullis et constitutionibus papalibus invitis, facile permisit ut robur infringeretur Ecclesiae Belgicae, quae libertatis studio Gallicanismi ducta, dummodo per aliquod temporis spatium ad Missionem redacta, immediate guberretur a Summo Pontifice, pedetentim suam amitteret constantiam, fortitudinem, libertatem. Si quis enim dicat instaurationem hierarchiae, a^o. 1853, a PIO Papa IX impetratam, probare Sedi Apostolicae ordinariam hierarchiam in singulis Ecclesiis potioem esse Missionis conditione, animadvertat, quantum intersit discrimen nexum inter, qui nunc singulas Ecclesias cum Sede Papali conjungit, et modum, qui saeculo XVII adhuc vigeat. Hisce enim diebus Summus Pontifex Universalem agit Episcopum, etsi GREGORIUS Magnus profanam dixerit illam de Pontifice, tamquam de Episcopo Universali, sententiam; ⁽¹⁾ atque quo magis ADRIANI Papae VI in oblivionem abit de fallibilitate papali dictum ⁽²⁾, eo magis in Sede Apo-

(1) Vid. *Vind. Res. Doct. Lov.* disq. II § 11. Episcopus universalis est Episcopus, qui in omnibus universae Ecclesiae Cath. partibus, proprii et ordinarii Episcopi habet potestatem.

(2) ADRIANUS VI, in 4 *sent. de S. Confirm.* art. 3, dicit: „Certum est quod Pontifex possit errare, etiam in iis quae fidem tangunt, haeresin per suam determinationem aut decretalem asserendo. Plures enim fuerunt Romani Pontifices haeretici.” *BUIJS. Nood. Bijl.* II §. 10. *Declaratio a Summe Reverendis Archiepisc. Ultr. caet.* 1826, p. 19.

stolica accumulatur de universa Ecclesia auctoritas. ROVENII vero tempore, nondum uti CODDAEI, Summus Pontifex Reformationem omnem eversisse Ecclesiam Ultrajectinam asseverare ausus est. Reformatio multa quidem everterat bona terrestria; sed talis conjunctio decrementi splendoris externi cum existentiae quoque internae jactura, uti recte monuit Clerus Trajectinus, Judaicam potius quam Christianam redolet agendi rationem, et ROVENII forte tempore nimis aperte cum JESU et Apostolorum atque Ecclesiae primaevae exemplo pugnare visa est. Quidquid est, ROVENIUS quidem victoriam reportavit de adversariis, verum pedetentim inde a ROVENIO Pontificum augeri coepit erga Trajectinos arbitraria agendi ratio. Clerus Trajectinus, ne turbis excitatis offenderet Moderatores A catholicos, nimis submisso subinde erga Sedem Apostolicam egit; lento autem, sed certo gressu accedebat schisma in archi-dioecesi Trajectina.

Non opus est ut omnes exponamus lites Jesuitas inter et Ordinarios. Jesuitae jurisdictionem sibi vindicare studuerunt, hierarchicum evertere ordinem: Ordinarii Trajectini de Regularibus conqueri, jura defendere.

IX.

Capitula Ultrajectinum et Harlemense a^o. 1637 JACOBUM TORRIUM (de la Torre) ROVENII elegerant Coadjutorem, cum successionis jure. ROVENIUS, Rege probante Catholico, illum assumpsit, et Pontifex illum confirmavit, d. 24 m. Aug. 1640. TORRIUS cum duobus delegatis, propter Jesuitarum impetum, a^o. 1638, Romam missus est. Congregatio de prop. fide, d. 30 m.

Sept. 1639, Jesuitas rursus reprehendit, et jurisdictioni submitit Ordinarii hisce in regionibus. URBANUS Papa VIII decretum illud confirmavit; mox vero lites renovatae. TORRIUS ipse Jesuitis, qui a^o. 1643 consilium inierant, numero 300, omnes harum regionum invadendi pastoratus, spe adductus fore ut Jesuitarum ope ad Sedem promoveretur aliam Episcopalem, nonnullas fecit *concessiones*, a^o. 1652 ⁽¹⁾, et quamvis Congregationis decretum irritas illas redderet, satis adhuc patebat, multum posse vi et constantia evinci.

TORRIUS, d. 19 m. Maj. 1647, consecratus est Archi-episcopus sub titulo *Ephesino*. In *Relatione* sua dicit sese *electum* esse a clero, praesentantibus Principibus ALBERTO et ISABELLA. Illius igitur etiam electio Sedem spectabat *Ultrajectinam*, quod inde quoque patet quod ROVENIO *Philippensi* Coadjutor datus, numquam, uti Episcopum Coadjutorem cum succedendi jure electum decuisset, titulum illum assumerit, quo usus est Episcopus, cui successit. ROVENIO mortuo, TORRIUS successit, sub *Ephesino* titulo, *Ultrajectinus* Archi-episcopus, m. Oct. 1651. Frustra Jesuitae conati sunt PALUDANUM, ex ordine P. P. Augustinianorum, ROVENIO substituere successorem, vel TORRIO adjungere Coadjutorem cum successionis jure ⁽²⁾ TORRIUS qui, a^o. 1647, ab Hollandiae Ordinibus in exilium missus est, non satis constans et firmus potestate sua usus est. Nunc metu, tunc lucri studio ductus, erga Jesuitas dubie se gessit. Inde forte etiam explicandum quod minus

(1) Vid. *concessiones* illas, *Ephesinas* dictas, quibus TORRIUS Jesuitis permisit undecim novas stationes constituendi, *Bat. Sacra* II p. 459.

(2) BROEDERSSEN, *Tract. Hist.* V. Cap. VII.

quam SASBOLDUS et ROVENIUS titulo usus sit *Trajectino*.
D. 16 m. Sept. 1661, mortuus est, nisi amens, certe
mente debilitata (1). Congregationis decretum irrita
esse habenda statuit, quae in ultimis quinque vitae
annis peregit.

Anno jam 1656 ALEXANDER Papa VII ZACHARIAM
METZIUM (2), canonicum Trajectensem et Thorensem (3)
Protonotarium Apostolicum, et apud *Schevelingos* (Sche-
veningen) Pastorem, TORRIO, qui *Romae* degens, Coad-
jutorem sibi dari rogavit, Coadjutorem adjunxerat.
METZIUS ille, quamvis TORRIUS eum suscepisset inter octo,
quos ad illud munus Pontifici proposuerat, etiam propterea
quod, *Bruxellis* natus, exterus haberetur, Clero displi-
cuit (4) Trajectino. BALDUINUS CATZIUS primo a Pontifice
lectus, onus suscipere recusaverat, TORRIUS interea de illa
Pontificis agendi ratione, Kal. Nov. 1655, conquestus
est (5), veritus ne tali modo capituli jura quoad electionem
in oblivionem prorsus abirent. Clerus quidem tunc, METZIO
omisso, quatuor nominavit, quorum unus a Pontifice
eligeretur Coadjutor, — ALEXANDER vero VII, Cleri desi-
deriorum nulla ratione habita, METZIUM, quem ultimo
loco commendaverat TORRIUS, tunc *Romae* degentem,
Coadjutorem fecit, qui post longas tantum dubitationes

(1) De quaestione utrum mortuus sit amens necne, et de ratione
qua irrita declarata sint, quae ultimis annis peregit, vid. BROED.
Tract. I notat. 17.

(2) *Bat. Sacra* II p. 466. ZACHARIAS DE METZ.

(3) Thorren prope Leuciam. (Luik).

(4) Vid. *Bat. Sacra* II p. 468, 469.

(5) *Def. Eccl. Ultr.* per BRCK p. 58. „quod obtrudetur non electus,
et quod contraibitur consuetudini jam introductae,” in epistola ad
BALD. CATZIUM.

munus suscipere voluit et consecratus est sub titulo *Trallensi*. METZIUS qui, TORRIO adhuc vivo, Archiepiscopi potius quam Coadjutoris sibi vindicare ausus est honorem, magis sibi proposuisse videbatur Ecclesiae Trajectinae evertere quam tueri jura. Periculum procul dubio in illo permagnum imminere Trajectinis. Mors vero subita periculum illud avertit. Die enim 13 m. Jul. 1661, diem obiit supremum *Amstelodami*, ante TORRII mortem, ita ut numquam nisi Coadjutoris habuerit potestatem. Nimiae verum constantiae METZIUS non fuit accusandus. D. 2. m. Jul. 1659, vehementer TORRIUM ad capitulum impugnandum Harlemense incitavit; deinde invito TORRIO capitulum illud evertere conatus est. (1) Quum vero animadverteret tali agendi ratione imminui potius quam adaugeri illam, quam habebat auctoritatem, sententiam mutavit et utrumque confirmavit capitulum (2). Mox vero aeger vehementer in litteris ad ALEXANDRUM Papam VII conquestus est de Clero imprimis Harlemensi (3), laudato tamen, praeter BALD. CATZIUM, JOANNE NEERCASSELIO tamquam viro probato ac docto.

X.

METZIO mortuo, Clerus mox de successore curam gessit. Communi suffragio JOANNES NEERCASSELIVS electus est, qui per decem jam annorum spatium dioe-

(1) BROED. *Tract. Hist.* I p. 110 et § 332.

(2) Vicariatum Trajectinum confirmavit d. 19 m. Aug. 1659, Capitulum Harlemense, d. 16 m. Oct. 1659.

(3) *Bat. Sacra* II, 469—471.

ceseos Ultr. Provicarius fuerat. Quia pax *Monasteriensis*, a^o. 1648, Regi Catholico Hispano omnem de patria nostra diripuerat ditionem, capitula probe perspexerunt ad sese, *jure non decressendi*, omnia pertinere de electione Episcopali jura, sine ulla per Principes facta nominatione. Summum igitur Pontificem rogavit Clerus, d. 2 Aug. 1661, electionis confirmationem. Mense Octobri capitula certiora facta sunt, sine ulla haesitatione electionem esse comprobata, quam ob causam, quia TORRIUS, d. 14 m. Sept. 1661, jam mortuus erat, NEERCASSELLUM jam statim Ordinarii functurum esse officiis duxerunt. Propterea d. 20 m. Oct. epistolam scripserunt ad Summum Pontificem, qua gratias egerunt de cito data comprobatione, optimo benevolentiae documento. (1) NEERCASSELLIUS ipse, d. 2 m. Febr. 1662, ad Internuntium *Bruxellensem*, eadem opinione ductus, litteras dedit. Mox vero Clerum in errorem esse inductum patebat. BALDUINUS enim CATZIUS (2), qui a^o. 1655 a Pontifice Coadjutor designatus, munus illud obire recusaverat, nunc TORRII a Pontifice electus est successor, ita ut JOANNES NEERCASSELLIUS (van Neerkassel) non TORRII, sed CATZII a Pontifice Coadjutor constitueretur cum successionis jure. (3) CATZII persona Clero displicere non potuit,

(1) Vid. *Bat. Sacra* II p. 469, HOIJNCK App. mon. 36.

(2) ALEXANDER VII, a^o. 1647, Nuntius Apostolicus Coloniensis TORRIUM consecraverat Episcopum, quum B. CATZIUS Capituli Harlemensis decanus, tertii episcopi fungeretur loco; inde Pontificis erga CATZIUM benevolentia explicari debet.

(3) Quomodo vero de electione illa explicandi sint rumores sparsi, non satis patet. D. 2 m. Aug. 1661, Clerus rogavit ut electio NEERCASSELLII comprobaretur. Mense Oct. fama advenit, per Nuntium Apost. Bruxellensem, Pontificem fecisse quod rogaverat Clerus.

quamquam aegre ferrent Trajectini omnem electionem a Pontifice, ipsius unice arbitrio, esse factam, juribus violatis capitularibus. Canonici vero non aperte sua defendere jura ausi sunt, neque etiam in suis ad Summum Pontificem litteris, ne adversariorum excitarent odium, electum a Pontifice Ordinarium appellare Trajectinum ⁽¹⁾

CATZIUS igitur, d. 9 m. Sept. 1662 Vicarius Apostolicus, nec non Ordinarius Trajectinus consecratus est sub titulo *Philippensi*, et eodem die NEERCASSELLIUS, qui, d. 30 Nov. 1661, *Romam* jam scripserat, libenter sese locum suum CATZIO cessurum, Coadjutor illi adjunctus est, consecratus sub *Castoriensi* titulo. CATZIUS, qui diu dioeceseos *Harlemensis* curam jam gesserat, cum NEERCASSELLIO concordiam iniiit, *Romae* tandem comprobata ⁽²⁾, qua CATZIO dioeceseos *Harlemensis*, NEERCASSELLIO *Trajectensis* cura commissa est, ita vero ut NEERCASSELLIUS CATZII maneret Coadjutor. ⁽³⁾ Mox Coadjutor

D. 20 m. Oct. gratias hac de re egit Clerus. D. 24 m. Nov. Nuntius Bruxellensis ad JOANNEM SCHADAEUM Pastorem *Delphis* (Delft) scripsit NEERCASSELLIUM electum esse Coadjutorem CATZII, non TORRII. D. 17 m. Dec. 1661 et d. 4 m. Febr. 1662 Cardinalis CHIGI, Summi Pontificis consobrinus ad THEOD. STRENG, canonicum *Aquisgranum* (Aken), epistolas scripsit, in quibus nulla de CATZII electione fit mentio, ac res unice proposita est, acsi NEERCASSELLIUS TORRII successor esset electus. Vel revera primus nuntius m. Oct. 1661 acceptus de electione falsus erat, vel Sedes Apostolica, nuntio accepto de TORRII morte, suam mutavit sententiam Vid. HOYINCK. — DUPAC p. 163—167.

(1) Vid. HOYINCK App. mon. 36.

(2) HOYINCK. App. mon. 49.

(3) Ibid. Frustra Clerus a^o. 1662 Kal. Jun. rogaverat ut uterque eodem prorsus haberetur dignitatis loco. Id. App. mon. 42.

successionis jure fructus est. CATZIUS brevi mente captus, *Lovaniam*, apud Oratorianos, deductus est, ubi, d. 18 m. Majo, 1663, mortuus est, NEERCASSELLIUM reliquens *Castoriensem*, successorem in sede *Trajectina*, certe non in *Philippensi*.

NEERCASSELLIUS, qui *Parisiis* Oratorianorum usus fuerat institutione (1), quamvis, uti docent illius scripta (2), Protestantismi adversarius, bene de patria meruit. Negari non potest illius inprimis moderatum animum, a^o. 1672, effecisse ut sine caede commissa, Ecclesia *Trajectina Cathedralis*, *Divo Martino Sacra*, quum LUDOVICI XIV turmae *Ultrajectum* occuparent, Protestantibus abrepta, tradita sit Rom.-Catholicis. Ipse, praestantiorum provinciae incolarum precibus commotus, Regem adiit LUDOVICUM, ut moderationem rogaret erga hasce regiones (3). Quamvis exercitus Gallici mox subsecutus recessus irritam redderet petitionem, talis Archi-episcopi agendi ratio Protestantium erga Catholicos tolerantiam non augere non potuit (4).

NEERCASSELLIUS inter Rom.-Catholicos summi facie-
 dus est, — et profecto, si minore fuisset vel virtute
 vel fama, sub illo jam schisma locum habuisset in
 archi-dioecesi *Trajectina*, quod sub illius successore

(1) QUESNELLIUS al. deinde ibi instituti sunt, qui inter Jansenistas multum laudis nacti sunt. CODDARUS ibi etiam institutus; quod in nexu Jansenistas Gallicos inter et *Trajectinos* explicando animadvertendum.

(2) Inter illa: *Amor poenitens; Confirmatio in fide et solatium in persecutionibus; Tractatus de cultu D. Virginis et Sanctorum; De lectione scripturae sacrae; De recto clavium usu. caet.*

(3) *Bat. Sacra* II, pag. 489.

(4) Inprimis post pacem *Noviomagensem* a^o. 1678. DUPAC p. 187—191.

CODDAEO obtinuit. Ipse enim NEERCASSELIIUS Jansenismi haud aufugit suspicionem, qua id temporis tot tantaeque in Ecclesia Rom.-Catholica, inprimis Gallica, machinantibus Jesuitis, ortae sunt calamitates.

CLEMENS Papa IX in formulae ALEXANDRI subscriptione discrimen admiserat *jus inter et factum* ⁽¹⁾, quo discrimine Portoregienses, vel Jansenistae, in Gallia fruebantur, ut et obsequii erga Sedem Apostolicam praestarent documentum, et perjurii vitarent crimen. Cum illis, Augustinianismum defendentibus et Ecclesiarum singularum jura privilegiaque propugnantibus, intimae NEERCASSELIO amicitiae erat vinculum; QUESNELLIUS, et ARNALDUS (Arnaud), praeter caeteris NEERCASSELIO familiares erant. Haud inique Academia Lovaniensis, a^o. 1690, Jansenismum *crimen appellavit, omnium nullum crimen habentium* ⁽²⁾; qui tamen illius criminis rei haberentur, graves luebant poenas. Jansenismus, etsi Ecclesia Rom.-Catholica ⁽³⁾, numquam palam illum damnavit neque damnare audet, tam Jesuitis, quam Sedi Apostolicae, Ultramontanismi patronae, invisus non esse

(1) Vid. supra pag. 7 et 8.

(2) BROED. *Tract V. cap. VIII.* NEERCASSELIIUS Romae, ubi adversarii illum umquam venturum esse negaverant, alte clamantes, NEERCASSELIIUM spernere Pontificis majestatem, periculum jam vidit, quod patriae imminerebat. Dixit Jesuitas Jansenismi accusatione uti, tamquam *atro carbone, quo omnes suspectos redderet, a suo nutu haud penpulos.*

(3) RIUS Papa IX, d. 4 m. Ap. 1853, de Jansenismo tamquam de *monstro et peste* locutus est, — verum ibi Jansenismus magis spectat schismatismi suspicionem, quam dogmatum expositionem. Praeterea in illo etiam brevi Apostolico manifestum est, vocem Pontificis non semper vocem esse Ecclesiae Catholicae.

non potuit. In *Gallia* mox opprimi coepit Jansenismi splendor externus; LUDOVICUS XIV formulae ALEXANDRI subscriptionem simplicem, tamquam institutum politicum mandavit. Multi anti-Molinistae e *Gallia* pulsati in patria nostra per fugium invenerunt, tam sub NEERCASSELIO, quam sub CODDARO. Principia Catholica, Jansenistica dicta, in patriae nostrae Ecclesia Catholica, ubi Jesuitarum potestas numquam praevaluerat, jam aderant, neque decesse poterant, quamdiu Jesuitismus nondum vigeret. Agendi ratio Trajectinorum, quum a°. 1426 ad futurum concilium generale provocarent, propter SÜEDERI injustitiam ⁽¹⁾, aequè ac universa patriae nostrae historia, satis docet Gallicanismum inhaerere Batavis. Jansenismus itaque non tantum in harum regionum incolis Catholicis asylum habebat, verum eodem, quo in *Gallia* modo, jam aderat et sese patefaciebat. Leges etiam civiles harum regionum Jesuitarum adversarios tuebantur potius quam oppugnabant, atque adeo Ordines Supremi Protestantes Jansenistis, qui vulgo appellantur, obesse non poterant. CAROLUS V Imperator, ne nimia Sedi Apostolicae de patria nostra foret auctoritas ⁽²⁾, minus quam ex sua adversus Protestantes Belgicos severitate plerumque efficitur, potestatis papalis fautor ⁽³⁾, prohibuerat, ne in Belgio decreta

(1) Vid. DUPAC. p. 15—26. *Bat. Sacra* I p. 213—218. Caet.

(2) Quot Principes idem fecerint hic non est dicendum. A°. 1781, Imperator JOSEPHUS II simile de *placito cicili* dedit decretum, quod ad provincias Belgicas australes, simulque prohibuit ne in illis provinciis divulgarentur constitutiones *Unigenitus* et *In Coena Domini*.

(3) Vid. imprimis de partibus quos egit in concilio Tridentino adversus Pontificem: BUNGENER *Hist. du Conc. de Trente*. (Belg. etiam versum.)

evulgarentur vel constitutiones Summi Pontificis sine magistratum *viso* vel *placito* (1). Luce vero clarius erat, A catholicos harum provinciarum Moderatores constitutionum numquam permissuros esse subscriptionem publice postulatam, quae tantopere ad augendam adducerent potestatem papalem, quanto-
pere illae, quae de JANSENI quaestione datae erant, Pontifici *infallibilitatem*, quod ad *facta* etiam, implicite adscribentes. Permulti igitur Jansenistae, ut Jesuitarum aufugerent odium, in archi-dioecesin *Trajectinam* venerunt, ubi benevole sunt accepti. NEERCASSELLIUS summi illos faciebat, ita etiam ut aliquando *angelos* Dei eos appellaverit (2).

NEERCASSELLIUS etiam jurisdictionem ordinariam sibi invideri perspexit (3). Ipse vero tamquam Ordinarius Trajectinus multa perfecit (4). Plurimi Ordinarium illum agnoverunt; inter quos PEREFIXIUS, SENALIUS, Oratorii in *Gallia* socius, VAN DER STOK, *Flissingensis*, Carthusianorum *Antverpiae* prior (5), Capitulum *Em-*

(1) Vid. decretum illud in op: *Def. Eccl. Ultr.* per ERCK. mon 24.

(2) HOYINCK. Art. XII. *Causa Quasn.* Caet.

(3) Sic Congregatio de prop. fide, d. 29 m. Sept. 1663, decrevit Vicariis Apostolicis non eandem competere, quam Episcopis in dioecesibus suis, potestatem. HOYINCK. App. mon. 65.

(4) In Relatione, quam dedit ad Congregationem, de Episcopatibus loquitur harum provinciarum. HOYINCK App. mon 47. Sic in epistola ad pastorem HOOFTIUM ao. 1668. *Def. Eccl. Ultr.* p. 68. Multa documenta hae de re collegit ERCKELIUS *Def. Eccl. Ultr.* mon. 132, 133, 136, 137, 138, 140, 141, 142.

(5) Ille a^o. 1686, aperte ad NEERCASSELLIUM, *Episcopum Ultrajectinum*, litteras dedit. NEERCASSELLIUS vero illi respondit, talem publicum titulum facile noxium fore Catholicis. *Ibid.*

bricense, celeberrimus BOSSUETUS (1), magistratus etiam *Wageningensis*, al.

NEERCASSELLIUS, qui, uti scripta ejus indicant, Jansenistarum favebat sententiis de *gratia*, de *moribus*, de *contribione* et de caeteris, quae tunc agitabantur, quaestionibus, haesitabat vero de ratione, qua de Pontificis judicandum sit *fallibilitate* et *potestate*. Haesitatione illa ad simplicem formulae ALEXANDRI subscriptionem adductus est, quae caeteroquin nequaquam convenit cum illius Jansenismo (2). A^o. 1667 Vicariatum confirmavit *Trajectinum*. Propter Jesuitarum molimina, qui numero jam 34 vel 35 hic degentes, omnem ordinem hierarchicum Reformatione sublatum esse asseverabant, *Romam* ivit. Congregatio, d. 3 m. Aug. 1669, Jesuitas stationes usurpatas Ordinariis tradere frustra jussit. Jansenismi NEERCASSELLIUM accusarunt adversarii; felici vero cum successu *Castoriensis* innocentiam suam tuitus est a^o. 1670 et 1671. Capitulum *Harlemense* cum illo, uti cum TORRIO a^o. 1656 fecerat, concordiam iniit, a^o. 1664, qua omnes dioeceseos *Harlemensis* curae Episcopales NEERCASSELIO traditae sunt. Sub illo prospera

(1) In Epistola a^o. 1675 ad ARNALDUM scripta, qua NEERCASSELLIUM BOSSUETI comprobasse *Expositonem fidei* dicitur.

(2) Liber ejus, *Amor poenitens*, a^o. 1683 editus, inprimis premebat amorem erga Deum in vera poenitentia esse necessarium, et Jansenisticam prorsus redolebat mentem. Jesuitae haereseos Romae librum accusarunt. Congregatio prohibuit ne liber divulgaretur antequam esset emendatus. INNOCENTIUS Papa XI prohibuit ne illud decretum Congregationis publicaretur, et librum dixit bonum, auctorem illius sanctum. Post NEERCASSELLII mortem decretum Congregationis sine novo examine divulgatum est, sub URBANO Papa VIII. Vid. DUPAC p. 179.

conditione fruebanter Catholici Belgici, ita ut *Castoriensis*, a^o. 1671, eorum numerum 500,000 esse, inter quos 300 Saeulares et 120 Regulares Ecclesiastici, statueret. Post vitam bene peractam, diem obiit supremum, d. 6 m. Jun. 1686.

XI.

D. 18 m. Jun 1686, Capitula Ultr. et Harl., *Goudae* conjuncta, NEERCASSELLII successorem elegerunt HUGONEM FRANCISCUM HEUSSENIUM (van Heussen) (1), Canonicum Trajectinum, quem THIMOTHEUM suum appellaverat NEERCASSELLIUS. D. 10 m. Jul. CODDAEUS (Codde) et LINDEBORNIUS (2) Vicarii generales Capituli, Sede vacante, electi sunt. HEUSSENIUS jam in Jan. 1682 NEERCASSELLII Coadjutor electus fuerat, et verosimiliter illa confirmata fuisset electio, nisi libri, qui dicitur *Amor poenitens*, causa intervenisset. Adversarii haereseos suspicionem contra HEUSSENIUM *Romae* moverunt, imprimis propter quas, a^o. 1677, publice *Lovaniae* defenderat *theses* theologicas, et propter quam, a^o. 1681, dederat, *dissertationem de indulgentiis* (3). Talis suspicio prohibuit ne electionem comprobaret Sedes Apostolica. Clerus illud perspexit, et quamvis HEUSSENIUS insisteret comprobationi, d. 29 m. Jun. 1687, tres alios, PETRUM CODDAEUM, COUSEBANTIUM, Capituli

(1) Auctor est ille HEUSSENIUS *Bataviae Sacrae et Historiae Episcopatum*. De utroque libro Belg. verso ab H. VAN RIJN, vid. *Utr. Volks-Almanak*, 1855, p. 173—178.

(2) Auctor ille libri, *Daventria illustrata*.

(3) Dissertatio illa, d. 29 m. Sept. 1687, a Congregatione de prop. fide, prohibita est.

Harlemensis decanum, et SCHEPPIUM, Canonicum *Harlemensem* nominavit, ut ex illis quatuor personis unus a Pontifice eligeretur. Adversarii omnes quatuor Jansenismi tunc accusabant. D. 29 m. Sept. 1687, Congregatio decrevit etiam ut harum regionum cura in duas divideretur partes, quam vero divisionem Pontifex comprobare noluit. Cardinalis inprimis NORDFOLCKIUS adversariorum irritos reddidit conatus, quum vicissim BASSERIUM, Vicarium Apostolicum *Silvaeducensem*, VAN DER MEY, pastorem *Amstelodamensem*, ADRIANUM VAN WIJCK, pastorem in pago *Kethel*, vel JOANNEM STAERIUM, praepositum *Trajecti ad Mosam*, NEERCASSELLI successorem eligi a Pontifice vellent ⁽¹⁾. Sic autem Ecclesiae Ultrajectinae obtrusus fere esset Praelatus, inimicus potius, quam patronus, nisi post longas dubitationes, d. 11 m. Maji 1688, Capitulum *Trajectinum Romanum* delegasset THEOD. COCKIUM (DE KOCK), illo tempore propugnatorem, deinde accerrimum *Trajectinorum* inimicum ⁽²⁾. Ille strenue causam tuitus est *Trajectinorum*, inprimis CODDAEUM ad electionem commendans. Coram Summo Pontifice et Cardinalibus justitiam probavit causae *Trajectinae*, fraude CIBONIS Congregationis Secretarii, detecta ⁽³⁾. D. 20 m. Sept. 1688, Cardinalium Congregatio habita est de NEERCASSELLI successore eligendo. Communi fere suffragio CODDAEUS electus est. Cardinalis CASONIUS inprimis

(1) DUPAC p. 198—201.

(2) Vid. instructionis illius instrumentum in BROED. *Tract.* I. mon. 29.

(3) Ille, Cardinalis CIBONIS frater, omnia quae Clerus *Trajectinus* Romam miserat, documenta retinuit et summarium tantum ex illis conflatum, Congregationi tradidit.

ita rem duxerat; ille autem cockro dixit, sese procul dubio CODDAEI exstiturum adversarium, quando ille novis (i e. Jansenisticis et Gallicanis) faveret sententiis.

XII.

Ingens Ecclesiae Trajectinae jam imminebat periculum, quamvis electio ita feliciter ad finem perducta esset. CODDAEUS enim erat Jansenista, (1) saltem secundum illam, quam supra dedimus (2), explicationem. D. 6 m. Febr. 1689, *Bruxellis* consecratus est CODDAEUS, sub titulo Archi-episcopi *Sebasteni* (3), certe vero illo consilio ut dioeceseos *Trajectinae* officiis Episcopalibus fungeretur. Aperte sententiam suam, pridie consecrationis suae diei, manifestavit Jansenisticam. Quum enim Internuntius eum subscriptionem formulae ALEXANDRI rogaret, illam sine discrimine *jus* inter et *factum* praestare noluit, ac potius missam se facturum omnem dignitatem sibi propositam dixit. Inde multi, qui *Galliam* reliquerunt Jansenistae, CODDAEI nacti sunt amicitiam, inter quos imprimis

(1) Inprimis cum QUESNELLO amicitiae vinculo junctus erat. QUESNELLIUS cum illius auxilio librum edidit; *La foi et l'innocence du clergé d'Utrecht*. GERBERONIUS, a^o. 1690, eodem modo edidit: *Korte en noodige onderwijzing voor alle Katholieken van Nederland, rakende het lezen der H. Schrift*; — ad commendandam S. Scripturae lectionem. Liber ille a^o. 1693, Romae prohibitus, a^o. 1701 iterum typis datus est. Illo tempore etiam RAJI opera denuo typis data sunt, HEUSSENI, ERCKELII, et aliorum ex Clero Trajectino ope HOYINCK. Art. XIV.

(2) Vid. Supra. p. 3—9.

(3) *Def. Eccl. Ultr.* per ERCK. mon. 149, 150.

QUESNELLIUS, FOUILLOU, LE GROS, PETTPIED, BERTRAND PREMARTIN, GERBERON, al. socii exstiterunt ac propugnatores *Ultrajectinorum*. (1)

CODDAEUS adversarios suos habuit, quos vero etiam habuisset, quando secus ac Jansenistae cogitasset. Potius enim de *jurisdictione* lis erat, quam de *doctrina*. Quod Sasboldistarum denominatio impetrare non potuerat, id Jansenismi accusatione factum est, propter infestissimum Sedis Apostolicae adversus Jansenismum odium. Verbo vero monendum, nequaquam, me iudice, omnes, qui causae huic Ecclesiae Trajectinae restiterint, male egisse fraude. Lis erat et certamen, duo inter principia summi ponderis, quorum alterum, decreta scutum Pseudo-Isidoriana, omnem potestatem Ecclesiasticam in Pontificis persona conjungere conabatur, alterum veterem de Ecclesiarum singularum iuribus sententiam propugnabat.

Anno jam 1690, *Romam* acerrimae de CODDAEI Jansenismo delatae sunt querelae, — quamvis negari haud posset eum gregis sui nactum esse amorem, et strenue curam gessisse dioeceseos. Aularum etiam Catholicarum *Hagaecomitis* legati, ab adversariis incitati sunt ut de Jansenismo in patria nostra conquererentur. Priores vero adversus CODDAEUM irriti cesserunt conatus. Ope imprimis Cardinalis ALBANI, qui deinde sub CLEMENTIS Papae XI nomine inclaruit, CODDAEUM in *omnibus inculpabilem esse repertum*, m. Oct. a^o. 1694, decrevit Congregatio (2). Mox

(1) In op: *Recueil de div. témoign. caet* a^o. 1763, index invenitur eorum qui, patria sua relicta, ad *Eccl. Ultr.* transierint, illique auxilium praestiterint.

(2) BROEDERSEN: *Tract. V. Cap. IX.*

vero novum adversarii fecerunt impetum. Pax enim, quae a^o. 1697 in pago *Rijswijk*, prope *Hagamcomitis* constituta est, multos Catholicos externos in nostram duxit patriam, inter quos Jesuita *DOUCIN*, Legati Gallici Sacramenti poenitentiae administer, qui gravia in *CODDAEUM* molitus est, libellum edendo, cui titulus: *Memoria brevis, e proluxiore* ⁽¹⁾ *extracta, de statu et progressibus Jansenismi in Hollandia*. Mox libellus, *Romam* missus, multorum excitavit iram. *CODDAEUS* maledicum habuit libellum et ipse illum cum *refutatione* ad Summum Pontificem et Cardinales misit, atque, a^o. 1699, *Responsum* conscripsit, *Romae*, in Camerae Apostolicae officina typographica, typis datum. Nihilominus, d. 26 m. Sept. 1699, Congregatio *Romae* decretum fecit occultum, quo, *CODDAEUM* loco, *THEODORO COCKIO* Provicarii Apostolici in patria nostra traderetur auctoritas. ⁽²⁾ *CODDAEUS* benevole *Romam* invitatus est ut, a^o. 1700, festo adesset jubilari ⁽³⁾. *BUSSIUS*, apud Aulam Bruxollensem Internuntius, *CODDAEUM* ad iter suscipiendum incitavit, dicens illius *Romae* commorationem procul dubio Ecclesiae Trajectinae prosperam fore. *CODDAEUS* potius *Romam* non petiisset; attamen ad iter faciendum inductus est, per honestissimas, uti ipse dicit, litteras a Congregatione datas, d. 25 m. Sept. 1699, d. 10 et d. 30 m. Jan. 1700, in quibus promittitur, post aliquot mensium *Romae* moram, illum rediturum fore, ad Ordinarii in patria sua recipienda munera. ⁽⁴⁾

(1) Proluxior illa memoria nunquam in lucem missa est.

(2) *HOYINCK*. *App. mon.* 75.

(3) Perperam *HOYINCK* rem proponit, ita acsi Congregatio diem *CODDAEUM* dixisset. V. inf. p. 59.

(4) *Declaratio Apologetica*, p. 53.

CODDAEUS igitur, cum nonnullis ex Clero suo, *Romam* venit, d. 11 m. Dec. 1700. INNOCENTIO Papa XII, d. 27 m. Sept. eodem anno, mortuo, CLEMENS Papa XI, d. 23 m. Nov., ad Sedem papalem evectus erat. CODDAEUS quum adversariorum animadverteret dolos, m. Dec. Pontificem rogavit ut causa sua coram severissimo ageretur Inquisitionis tribunali. Pontifex vero Cardinales MARESCOTTI, TANARAM, et FERRARI ad illam inquirendam elegit. CODDAEUS *Romae* mox tractatus est, tamquam haereseos et nimis severae disciplinae reus, quamvis ab altera parte summo honore affectus sit. Res parum procedebat. D. 2 m. Junio 1701, nihil adhuc de illo decretum erat, ita ut CODDAEUS *declarationem* traderet Congregationi, in qua sese contra sparsos rumores defendit, et legitimam rogavit agendi rationem, ita ut et accusationes et accusatores palam enuntiarentur, atque coram illis audiretur. Adversus sparsos rumores testimonium opposuit honorificum, cui 306 ex Clero suo subscriperant (1). D. 18 m. Dec. 1701, Congregatio decem Cardinalium CODDAEI vindicatura esse videbatur integritatem (2), mox vero mutata est fortuna. Sine ulla legitima jurisdictionis specie, sine accusatorum nec accusati publica examinatione, d. 13 m. Maj. 1702, CLEMENS Papa XI breve dedit, THEODORO COCKIO inscriptum (3), quo CODDAEUS suspensus declaratur,

(1) *Decl. Apol.* p. 47. *Bat. Sac.* II p. 518 *Recueil de divers tém.*, ubi tam testimonium ipsum quam 306 sacerdotum nomina typis data inveniuntur. Capitulorum socii, illa qualitate, subscriperunt.

(2) *Def. Archiep. Sebast.* p. 59.

(3) HOYINCK, *App. mon.* 76.

et, illius loco, COCKIO Provicarii Apostolici traditur potestas. CODDAEUM decretum latuit, donec litterae a Clero datae Trajectino, certiores illum de papali agendi ratione redderent. Evidenter decretum ita datum erat ut omnis CODDAEO abrogaretur potestas, — non tantum auctoritas Vicarii Apostolici, quam certe Pontifex, sui ipsius unice arbitrio, illi abrogare poterat, sed illa etiam, quam Ordinarius de archi-dioecesi habebat *Trajectina*. In patria nostra altera pars Catholicorum decreto, quippe a Pontifice, tamquam Ecclesiae Capite venerando dato, obediendum duxit, altera tamen, quippe injustissimae constitutioni, Pontificis excedenti potestatem, restitit.

Qui CODDAEI defendentes causam, arbitrio papali obsequium praestare nollent, mox Jansenistae denominati, propriam et ordinariam jurisdictionem Trajectinam propugnabant, et Clerum Trajectinum, Veterem Ecclesiam Trajectinam, vel Clerum Episcopalem Veterem Romano-Catholicum sese dicebant. Sedes Apostolica illos schismaticos ac haereticos appellare consuevit. Illorum historiam, usque ad hosce dies, brevi exponere lubet.

HISTORIA ECCLESIAE ULTRAJECTINAE
ROMANO-CATHOLICAE,
MALE JANSENISTICAE DICTAE.

PERIODUS PRIMA.

1702—1724.

INDE A CODDAEO SUSPENSO, USQUE AD
CORNELIUM STEENOVENIUM ARCHI-EPISCOPUM.

CAPUT I.

1702—1705.

USQUE AD GERARDUM POTCAMPNUM,

VICARIUM APOSTOLICUM.

I.

Decretum, quo CODDAEUS, d. 13 m. Maj. 1702
sensus declaratus erat, atque omnis illi potestas
Ecclesiastica, ordinaria etiam, abrogata in Ecclesia
Trajectina, quae libertatis nondum amiserat amorem,
ad schisma non adducere non potuit. Decretum certe
injustissimum erat. Non tantum factum est, utraque
parte non audita, neque accusato defensionis concessa
venia, ita ut vehementer illas offenderet leges, quas
ipsa constituit *natura*, verum etiam arbitraria erat
et procax *juris canonici* et *privilegiorum Eccle-*

siasticorum Belgicorum violatio. Principium tantum Ultramontanum, quo Summo Pontifici adscribitur potestas, nullis limitibus definita, et historiâ invitâ ⁽¹⁾ singularum Ecclesiarum jura privilegiaque pro concessionibus tantum habentur, quas benevole Summus Pontifex ad tempus fecit, suo vero arbitrio tollendas, illud suspensionis decretum probare potest. Decretum Congregationis, d. 25 m. Sept. 1699, *Romae* factum, aperte docet, ne consilium quidem fuisse Sedis Apostolicae ut legitimo modo de CODDAEO ageretur.

Frustra Sedis Apostolicae hac in re laudatores, HOVINCKIUM secuti, rem ita proponunt, acsi *invitatio* ut *Romam* veniret CODDAEUS, festi jubilaris causâ, veri nominis fuerit *dica*. Talis enim *dica* ipsa injustissima fuisset legis transgressio. LEO Papa X enim, Kal. Dec. a^o. 1514, ⁽²⁾ bullam dederat, qua sempiternum Ecclesiae Trajectinae tribuitur jus, ut nec Canonici nec Ecclesiastici unquam evocari possent ad tribunalia extranea, et omnia *irrita et nulla* declarantur, quae *in aeternum* contra illam constitutionem perficerentur, a Sede etiam Apostolica. Uter igitur peccavit, — num LEO Papa X, qui, tribus jam saeculis ante, CLEMENTIS Papae XI *irritam* declaravit et *nullam* agendi rationem, an vero CLEMENS Papa XI, qui LEONIS Papae X violavit constitutionem. Eheu, justitia fidesque papalis!

Ne, ad tales defendendas Sedis Apostolicae actiones, in memoriam quis revocet Concordias, Pontifices inter et Principes constitutas, quibus ple-

(1) *Vind. Resol. Doct. Lov. disq. I § 7. disq. II § 7—9.*

(2) *Vid. bulla illa a^o. 1517 renovata in op: Def. Eccl. Ultr mon. 7.*

rumque singularum imminuta sunt Ecclesiarum jura. ⁽¹⁾ Tales enim Concordiae universe ita constitutae sunt, acsi apud Pontificem unum omnis esset in Ecclesia potestas, neque ulla essent singularum Ecclesiarum perpetua jura privilegiaque. Verumtamen illa jura et privilegia, etiamsi non *suo jure* Ecclesiis competere sed unice conventiones aestimarentur inter duas partes Ecclesiasticas, dirimi tamen vel tolli non poterant, nisi utriusque partis communi consensu, — non vero unius tantum partis arbitrio.

Jus canonicum Ecclesiae Rom.-Catholicae ⁽²⁾ postulat, ut tres edantur admonitiones Ecclesiasticae, antequam judicium pronuntietur; admonitiones illas haud acceperat CODDAEUS, ita ut decretum, d. 13 m. Maj. 1702 factum, non ex lege datum sit.

Character venerabilis Episcopalis postulat ut moderate ac caute res tractentur Episcopales, uti omnes monuerunt Ecclesiae Patres et Concilia. De Episcopis, secundum juris canonici constitutiones, non potest judicari, nisi a duodecim Episcopis vicinis; neque hocce in CODDAEI observatum est causa. Etiamsi igitur Sedes Apostolica, in causae fundamento non errasset, CODDAEI suspensio tamen, neglectis regulis canonicis, illegitima erat. Suspensionis decretum ne legitimo quidem modo CODDAEO indictum est; atque ubi tot tantique laici et Ecclesiastici *Trajectini* summi fecerunt *Sebastenum*, invito etiam excommunicationum papalium metu, schisma in Ecclesia Trajectina attulit.

⁽¹⁾ Vid. *De pragmatieke sanctie van het jaar 1438 en het concordaat tusschen Leo X en Frans I in 1517.* Amsterdam, Saakes, 1841.

⁽²⁾ Vid. VAN ESPEN, *Vind. Res. Doct. Lov.* al.

II.

CODDAEUS, Romam profectus, Provicarios constituerat, qui, se absente, dioeceseos curam gererent, *Trajectinos*, HEUSSËNIUM et JACOBUM CATZIUM ⁽¹⁾, *Harlemenses* VETO, THEODORUM VAN GROENHOUT et MARTINUM DE SWAËN. Frustra BUSSIIUS, *Internuntius Bruxellensis*, eum incitaverat, ut COCKIUM constitueret Provicarium. Capitulares ab Emin. BUSSIO decreti papalis acceperunt nuntium, qui eos adhortatus est ut COCKIUM agnoscerent, CODDAEI pietate erga Sedem Apostolicam ducti. D. 16 m. Junio 1702, Capitula responsum dederunt, sese decreto illi papali obtemperare haud posse, antequam certiorcm haberent nuntium, quia, CODDAEO de suspensione nullam faciente mentionem, decreto fidem esse habendam haud crederent. D. 21 m. Jun. BUSSIIUS iterum frustra ad *praeclara* scripsit Capitula, ut decreto obsequium praestarent. Interea d. 8 m. Jul. COCKIUS, Provicarius Apostolicus, sine Capitulorum consensu diploma fidelibus dedit jubulare, postquam incassum CATZIUM ut agnosceretur rogasset. D. 20 m. Jul. Capitula deliberarunt de eo quod nunc faciendum esset, — atque quatuor a CODDAEO electi Provicarii *declarationem* dederunt, Belgico et Latino conscriptam sermonc, qua sese adversus COCKIUM defenderunt, propugnationem promittentes jurium suorum, absente CODDAEO. Catholici Belgici in duas jam abierunt partes, multis CODDAEO adhaerentibus ⁽²⁾, caeteris COCKIO.

(1) CATZIUS vel CATTUS dicitur.

(2) Epistolae, quas Ecclesiastici et laici ex variis archi-dioeceseos Trajectinae partibus pro CODDAEO et adversus COCKIUM conscrip-

Ordines, Supremi Moderatores Hollandiae et Frisiae Occidentalis, turbas illas in Catholica animadvertentes Ecclesia, JOANNEM CHRISTIANUM ERCKELIUM (van Erckel), cum aliis quibusdam CODDAEI sectatoribus, in jus vocarunt, et, d. 17 m. Aug. 1702, decretum ediderunt, quo COCKIO omnem interdixerunt jurisdictionem, et defenderunt ne Catholici illi vel cuivis alii obsequium praestarent Praelato, haud electo secundum patriae usum, neque Magistratuum munito *admissione* (1). COCKIUS decreto illi aliquamdiu obtemperavit.

Frustra denuo BUSSIUS et Cardinalis PAULUTIUS, Secretarius Status papalis, Capitula hortabantur ut COCKIUM agnoscerent. Capitula ad Pontificem scripserunt, sese nequaquam illud decretum, ab Ordinibus d. 17 m. Aug. datum, provocasse, attamen propter illud etiam decretum COCKIO obediri haud posse. BUSSIUS interim, de Ecclesiae Trajectinae statu, Augustiniani CHRISTIANI LUPI, Theol. Doct., rogavit sententiam, qui respondit Ecclesiam Catholicam Ultrajectinam procul dubio Reformatione esse eversum, et, omnibus amissis juribus, in Missionis formam esse redactam, atque Missionem remansuram, donec Sedes Apostolica ordinem instaurasset episcopalem et hierarchicum (2). Tali consilio ductus BUSSIUS, in epistola ad DE SWAEN, d. 25 m. Jan.

serunt, typis datae sunt in op: *Recueil de divers témoignages*, parte II, n^o. 1—9.

(1) *Defensio Sebasteni*, p. 151. HOYINCK *App. mon.* 78. J. H. DE VRIES. *De bisschopp. Klerczy.* p. 28. *Groot Placaatboek.* V p. 558. al.

(2) Vid. *Def. Eccl. Ultr.* per ERCK. p. 98.

1703, Capitulum *Harlemense* (1), et d. 22 m. Febr. et *Harlemense* et *Trajectinum praetensa* dixit Capitula (2). Decretum CLEMENTIS Papae XI, d. 7 m. Ap. 1703, illam comprobavit de Capitulis sententiam, et excommunicationes comminans haud obedientibus, defendit ne quis Missionis gubernationi sese immisceret (3).

III

CODDAEUS vero, trium Consulum *Amstelodamensium* consobrinus, *Romae* adhuc degebat, ubi retinere illum, multis honoribus affectum, conabantur adversarii. Ordines autem *Hollandiae* illius insistebant reditui, ut concordia restitueretur inter Catholicos. Ideo, d. 24 m. Febr. 1703, COCKIUM, et CODDAEI affinem, BOELMERT, jusserunt, ut *Sebastenus*, intra trium mensium spatium in patriam redeundum curarent; quod nisi accideret, *Jesuitas*, tanquam barbarum commotores, in exilium missum iri minantes. CODDAEUS igitur, d. 12 m. Ap. benedictione

(1) Capitulum *Harlemense*, Reformatione invita, quoad spirituales jurisdictionem existere pergebat, multo etiam facilius quam *Trajectinum*, propter discrimen statim possessiones terrestres inter et spirituales introductum, ita ut ne nomen quidem capituli in vicariatus nomen immutari debuerit. Contra Capituli *Harlemensis* igitur existentiam nullum potest adhiberi argumentum, nisi *Judicium* illud de bonis amissis terrestribus. Capitulum *Harlemense* usque ad dies nostros existit, saltem usque ad a^o. 1853. Nomina vero *Canonicorum Harlemensium*, ne in Sedis Apostolicae forte incurrerent invidiam, ultimo tempore caute occulta tenebantur. Inde ab a^o. 1705 jurisdictionem exercere desiit Capitulum *Harlemense*, non vero existentiam suam vindicare. In lite de Collegiis *Lovanensibus*, a^o. 1724 imprimis, Capitulum *Harlemense Ultrajectino* sese opposuit

(2) *Def. Eccl. Ultr.* BROEDERSEN. *Tract.* I p. 389, al.

(3) HOYINCK. *App. mon.* 82 p. 137, 138.

accepta papali, multis honoribus et commendationis litteris condonatus, *Roma* profectus m. Jun. in patriam rediit.

Capitula interim *Ultrajectinum* et *Harlemense*, d. 6 m. Mart. 1703, ad Papam appellaverant, melius consultum, ut tali provocatione finem imponerent injustissimae Sedis Apostolicae erga Clerum agendi rationi. CODDAEUS quum capitula ita sese defendere animadverteret, dubius brevi haerebat, quomodo sese post injustum suspensionis decretum gereret. Prudentia vero moderate agendum esse suadebat. *Sebastenus Romam* de Ecclesiae Ultr. scripsit statu, mox remedium postulante. D. 25 m. Aug. unice responsum illi est, coecam postulari erga Pontificem obedientiam, atque haud obedientes tamquam paganos ac publicanos tractatum iri (1). PAULUTIUS idem scripsit, d. 12 m. Oct. (2). COCKIUS vero, d. 8 m. Aug. in exilium missus est ab Ordinibus, Supremis harum regionum Moderatoribus, quia in epistola sua ad Congregationem, d. 10 m. Nov. 1702, dixerat decretum, d. 17 m. Aug. factum esse ab Ordinibus, nominatim a Praeside VAN DUIVENVOORDE, pecunia corruptis. Capitula interim defensionem jurium suorum in lucem emittendam esse duxerunt, quamobrem duas apologias ediderunt: *Motivum juris pro Capitulo Harlemensi* (3), et *Assertionem juris Ecclesiae Ultrajectinae Rom.-Cath.* (4), necnon alios plures in populi usum conscri-

(1) HOYINCK, *App. mon.* 83.

(2) *Id. mon.* 84.

(3) Conscriptum a Z. B. VAN ESPEN, acque ac liber qui mox subsecutus est: *Refutatio responsi ad Motivum juris*. MARTINUS DE SWAEN utrumque librum suo nomine edidit.

(4) Auctor illius est J. C. VAN ERCKEL.

ptos libros (1). Frustra iterum, d. 5 m. Maj. Pontificem rogarunt ut CODDAEUM in priorem restitueret dignitatem, vel saltem alium illius eligeret loco, hunc in finem CORNELIUM STAECKENBORGIUM, PETRUM CUYOKIUM et CORNELIUM STEENOVENTIUM commendantes. Pontifex vero constanter Cleri satisfacere votis recusabat, sperans fore ut excommunicationibus perterrita, nisi melior, certe major Catholicorum pars, mox obsequium praestitura esset. Sic aeternas comminans poenas CODDAEI sectatoribus, Pontifex Cleri Trajectini brevi imminuit numerum.

D. 18 m. Mart. 1703, CATZIUS, Provicarius a CODDAEO constitutus, excommunicatus est; quam excommunicationem, etsi primo occultatam, cito Jesuita FRANCISCUS VAN SUSTEREN *Ultrajecti* cum omnibus communicavit. CATZIUS vero libellum edidit, quo probaret tam illud, quam omnia universe judicia ecclesiastica, irrita esse ac nulla, quae, violatis regulis et legibus canonicis, lata essent. Sacerdotes 144 (2) illi CATZII adhaerebant programmati. Sedes Apostolica vero tali excommunicatione ineruditos permultos Catholicos ad suam traxit partem. Cultiores etiam multi iudicium timebant, quo Pontifex communionem cum Ecclesia, unice ad salutem ducente aeternam, recluderet, nullum fere discrimen facientes iudicium inter Pontificis et Dei.

Tali certe excommunicationum metu inductum, Capitulum *Harlemense*, minus strenuum et constans quam *Trajectinum*, post mortem inprimis MARTINI DE SWAEN, ab oppositione destitit adversus injustitiam

(1) Vid. HOYINCK. *App. mon.* 90; ubi illorum tituli inveniuntur.

(2) Vid. *Recueil de divers témoign.* part II n^o. 9. al.

papalem, et, majore canonicorum numero incitante, CLEMENTI Papae XI libellum dedit supplicem, quo promisit nullam sese in posterum exerciturum esse jurisdictionem, pietate erga Sedem Apostolicam ductum⁽¹⁾. Ab existentia tamen sua vindicanda Capitulum non destitit. Haec vero *Harlemensium* obedientia, — quum Sedes Apostolica tam existentiam negaret quam jurisdictionem illius Capituli, — non sufficebat, sed, illo temporis puncto, Pontifex nihil amplius postulavit, ita ut pedetentim erga Capitulum *Harlemense* cessaverint vexationes papales. Qua ratione *Ecclesia Trajectina* adversus *Harlemensem* egerit, — et quomodo Episcopus constitutus sit *Harlemensis*, capitulo *Harlemensi* jurisdictionis curam gerere recusante, postea exponendum erit.

IV.

Ecclesia vero *Trajectina* constanter jura sua propugnabat, Magistratum benevolentia nixa. D. 10 m. Maj. 1704, renovatum est decretum, quod, d. 17 m. Aug. 1702, fecerant Ordines, et pastores duo, quos COCKIUS constituerat archipresbyteros, VAN BEEST in pago *Voorburg*, prope *Hagacomitis*, et ADRIANUS VAN WIJCK, in pago *Kethel*, in exilium missi sunt. D. 26 m. Mart. 1705, Ordines diem etiam quatuor dixerunt pastoribus COCKIO addictis, ⁽²⁾ quibus praeceperunt, ut de CODDAEO in pristinam dignitatem restituendo curam gererent, minantes ad pacem restituendam

(1) Vid. infra pag. 73, not. 1.

(2) Fuerunt illi: NICOLAAS CLAESMAN, Lugduni Batavorum, C. VAN DER BURG, Hagacomitis, N. DE BRUYN et F. DE HIER, Amstelodami pastores. Vid. *Groot Placaatboek* V. p. 563. J. H. DE VRIES, *De Biss. Klerczy*, p. 31.

Jesuitas in exilium missum iri, nisi ante d. 15 m. Jun. pax restitueretur inter Catholicos ⁽¹⁾. CODDAEUS ipse, d. 19 m. Mart 1704, *epistolam dedit pastoraalem*, qua agendi rationis suae causas explicuit, et sese defendit adversus sparsos rumores. *Sebastenus* enim probe perspexit, Sedem Apostolicam maxime suae nocuisse famae, quia non aperte suspensionis enuntiaverat causam, verum unice divulgaverat factum illud esse *ob causas orbi universo cognitae, et ob alias singulares, quae, ut illius famae parceretur, occultandae censebantur.* ⁽²⁾

Mox, d. 7 m. Maj., Congregatio *Romae* decretum fecit, quo CODDAEI *declaratio et responsiones*, quas, d. 2. m. Jun. et d. 15 m. Oct. 1702, Cardinalibus obtulerat, prohibitae sunt, propter *suspectas et singulares sententias, constitutionibus ecclesiasticis oppositas, quibus fideles eo adduci possent ut erroribus imbuerentur damnatis.* Decreto illo non tantum *suspensus*, sed prorsus muneribus ecclesiasticis *excussus* declaratur CODDAEUS ⁽³⁾. D. 20 m. Aug. CODDAEUS propterea *alteram dedit epistolam pastoraalem*, ad suam et Cleri sui defendendam doctrinam ⁽⁴⁾, atque d. 29

(1) Decretum illud executioni non est mandatum, propter brevi post, POTCAMPIO electo, restitutam pacem.

(2) *Causa Eccl. Ultr.* p. 25.

(3) HOYINCK, (*App. mon.* 85) dicit, decretum illud, d. 3 m. Ap, jam esse factum, sed d. 5 m. Maj. tantum divulgatum; Clerus Trajectinus rem ideo solum ita proponi dicit, ut non palam pateret illud decretum pro responso esse habendum Congregationis ad CODDAEI epistolam pastoraalem. DUPAC p. 244.

(4) QUESNEL, DE NOAILLES, LE TELLIER, Archi-episcopus *Rhemigensis* (Rheims), neque antea ipsa Congregatio, tam perversam habuerant CODDAEI doctrinam. DUPAC, p. 244, sqq.

m. Dec. 1704, d. 5 m. Maj. et d. 17 m. Aug. 1705, ad CLEMENTEM Papam XI et d. 8. m. Aug. 1704, ad BUSSIUM Internuntium, necnon d. 17 m. Aug. ad Eminentissimos Cardinales, epistolas dedit apologeticas. Nullum vero *Sebastenus* accepit responsum. Animadvertit igitur CODDAEUS vel coecam erga decretum papale praestandam esse obedientiam, vel illo decreto, quippe injusto, invito, eodem quo antea modo, munera esse exercenda, vel sine coeca obedientia, *ipso facto* ab jurisdictione esse desistendum, Vicariisque, a Capitulo electis, dioeceseos curam esse committendam. Tertium iniiit consilium, quamvis ipse in *Declaratione apologetica* (1) probet, per plures ut secundam iniret viam adhortatos esse. Capitula igitur *Ultrajectinum* et *Harlemense* Vicarios sibi elegerunt: HEUSSENIUM, Vicarium dioecesium *Ultrajectinae, Daventriensis* et *Middelburgensis*, et MARTINUM DE SWAEN, dioecesium *Harlemensis, Groninganae* et *Leovardensis*. Illi munere suo fungebantur, Sede Apostolica invita, atque plurimi mox Catholici, inprimis extra dioecesin *Trajectinam*, partes dereliquerunt CODDAEI, vel metu excommunicationum, vel animi persuasione, vel mercedis spe inducti, (2) Pontifici coecam praestantes obedientiam.

V.

Sedes vero Apostolica de tali Capituli *Ultrajectini* strenua defensione neutiquam cogitaverat.

(1) Edita a. 1705. Vid. p. 117. sqq.

(2) Sic BACKHUSIUS, qui postea contra Clerum *Trajectinum* Histor. scripsit, a. 1836, Belg. vers. ab F. J. VAN VREE, quem a. 1853, prius Papa IX Episcopum *Harlem.* constituit.

Speraverat fore ut excommunicationibus et Legatorum Catholicorum *Hagaecomitis*, apud Supremos Ordines, interventu, omnes Catholici ad obtemperandum decreto papali, etsi invitis, vi saltem cogi possent. BUSSIUS ipse *Bruxellis Hagaecomitis* venit, ut conaretur Ordines ad alias de Clero Trajectino opiniones adducere. Illam Internuntii *Hagaecomitis* commorationem ad pacem restituendam prosperam fore duxit capitulum metropolitanum. (1) Quatuor igitur ad BUSSIUM delegati sunt canonici, ERCKELIUS, HEUSSENIUS STAECKENBORGIUS et DALENOORTIUS, qui, d. 6 m. Jun. 1705, Internuntium submitte rogarunt ut colloquium sibi concederetur cum nonnullis ex adversariis delegatis, in quo de Capituli metropolitani causa agere possent. Frustra denuo. Libellum igitur in lucem ediderunt canonici quo indicarunt: 1º. in tota lite nullum hucusque gravem errorem diserte esse denominatum; 2º. formulam ALEXANDRI sibi numquam fuisse propositam; sese vero *theses* illas quinque ex animo damnare, eodem quo Sedes Apostolica sensu (2); atque 3º. Vicariatum Trajectinum verum esse ac legitimum capitulum. (3) De BUSSIO conquesti ad Cardinales, *Romam* epistolam dederunt canonici.

(1) Vid. *Causa Eccl. Ultr.* aº. 1724, p. 39.

(2) Vid. supra p. 6, not. 1 et p. 7, not. 2. Canonici igitur hac in re discrimen premebant *jus inter et factum*.

(3) Ex illo libello patet pedetentim quaestionem de formula ALEXANDRI, atque igitur de Jansenismo, sese cum lite de Ecclesiae Trajectinae existentia et juribus conjunxisse. Illo tempore vero nondum *haereseos* suspicio *palam*, a Sedis Apostolicae parte, tamquam cardo quaestionis proposita erat in Ultrajectorum causa.

BUSSII igitur *Hagamcomitis* iter ad reconciliationem non adduxit, neque vero ad Ordinum erga Trajectinum Clerum immutandam agendi rationem. Ordines a decreto, d. 17 m. Aug. 1702 dato, nequaquam recedendum ducebant, atque Trajectinos propugnabant potius, quam opprimebant. Sedes Apostolica hanc ob causam aliam ineundam duxit viam, ne Ordines in patria nostra nimis exacerbaret. Ecclesia Trajectina pacem rogabat, etiamsi CODDAEUS in pristinam haud restitueretur dignitatem, dummodo alius quidam *Sebasteno* substitueretur Vicarius Apostolicus, qui nec Aulae pontificiae displiceret, neque Ultrajectinis. Legatus Electoris Trevirensis, KEIZERSFELTIUS, *Hagaecomitis* degens, prae caeteris concordiam restituere conabatur. Nec BUSSIO Internuntio, neque capitulo Ultrajectino displicere potuit GERARDUS POTCAMPUS (Potkamp), archipresbyter Lingensis, quem pium certe, moderatum prudentem, venerabilem omnes noverant. Utriusque partis in illum senem convenerunt vota ac suffragia. CODDAEUS ipse, d. 27 m. Nov. 1705, ad CLEMENTEM Papam XI scripsit sese comprobare POTCAMPUS electionem, qua finis tandem divortio imponeretur infausto. POTCAMPUS dubius haesit num munus suscipret oblatum. Capitulum Trajectinum duos ad illum delegavit canonicos, atque BUSSIUS epistolam ad modestum dedit pastorem ⁽¹⁾. Tandem ille utriusque partis cessit votis. D. 13 m. Nov. *Bruxellis* ab Internuntio facultates accepit Provicarii Apostolici. Tam BUSSIUS quam Clerus Trajectinus summo cum gaudio illum agnoverunt Provicarium, quia sic, post trienne schisma,

(1) *Bat. Sacra.* II p. 527.

pax restituta esse videbatur in archi-dioecesi Trajectina.

CAPUT II.

1705—1710.

USQUE AD PETRI CODDAEI MORTEM.

I.

GERARDUS POTCAMPUS Provicarius Ordinibus quoque, Supremis in patria nostra Moderatoribus, acceptus erat. Nob. AKERSTOOT *Harlemi*, *admissionem* illi tradidit civilem, et omne promisit adversus rebelles auxilium ⁽¹⁾ COCKIUS ipse, et multi etiam Jesuitae, de munere suscepto illi congratulati sunt, aequae ac canonici Trajectini, d. 20 m. Oct. ⁽²⁾. POTCAMPUS Vicariatum Trajectinum confirmavit, d. 24 m. Nov., et procul dubio illi contigisset, omnem in Ecclesia Trajectina tollere discordiam, quando diutius Ecclesiam gubernare potuisset. Sed d. jam 16 m. Dec. diem obiit supremum, 63 annos natus, postquam aeger d. 14 m. Dec. *epistolam* dederat *pastoralem*, in qua omnes Catholicos exhortatus est Ecclesiasticos, Saeculares et Regulares, ut paci operam darent et concordiae. Omnes, quibus

(1) Vid. J. H. DE VRIES: *De Biss. Klerczy onder de oude Staatskerk en later.* p. 25.

(2) Vid. *Bat. Sacra*, II p. 528.

Ecclesiae Catholicae Belgicae salus cordi erat, admodum pium lugebant defunctum. In pago *Warmond*, prope *Inghdunum Batavorum*, sepultus est, praesentibus multis etiam ex primoribus A catholicis. Illo vero mortuo, constantis, Romanum Pontificem inter et Ecclesiam Trajectinam, reconciliationis spes prorsus evanuit.

II.

PAULUTIUS Cardinalis, d. 29 m. Dec. 1705, ad CODDAEUM, qui, uti vidimus (1) d. 27 m. Nov. *Romam* litteras scripserat, epistolam dedit, in qua illum laudat de modo, quo de POTCAMPII locutus erat electione (2). Nullum vero adesse videbatur consilium ut in constituendo POTCAMPII successore votorum Cleri Trajectini rationem haberent. Clerus DALENOORTIUM delegavit et STEENOVENIUM ad Internuntium Bruxellensem, qui omnes intenderent vires ut pastor Delphensis VAN DER VOORT Vicarius constitueretur Apostolicus. Primo BUSSIUS illum VAN DER VOORT electurus visus est, postea vero illum nimis Capitulo *Trajectino* esse addictum duxit, ideoque Vicarium constituere recusavit (3).

Sedes interim Apostolica curam Missionis Belgicae tradidit PIAZZAE, *Coloniae Agrippinae* Nuntio Apostolico, donec Ordinarius Ecclesiae praeficeretur. PIAZZA, d. 23 m. Febr. 1706, epistolam dedit ad

(1) Vid. supra p. 70.

(2) HOYINCK. App. mon. 88.

(3) *Causa Ecccl. Ultr.* p. 42.

CATZIUM et MARTINUM DE SWAEN, quos primos Vicarios generales constituerant capitula Harl. et Ultr. Responderunt vero (1), d. 16 m. Ap. et d. 15 m. Maj. PIAZZAM non posse agnosci, quippe juribus capitularibus, privilegiis ecclesiasticis et decreto Ordinum invitis, constitutum rerum ecclesiasticarum Belgicarum Moderatorem (2). D. 31. m. Jul. PAULUTIUS ad HEUSSENIUM scripsit, alterum capituli Ultr. Vicarium, eum, *ipso facto*, in excommunicationem incurrere ecclesiasticam, quando ullam exercere auderet jurisdictionem. D. 19 m. Oct. capitulum metropolitanum iterum PAULUTIUM rogavit, ut legitimum in ipso loco institueretur examen, ut Cleri Trajectini vindicari posset innocentia. PIAZZA interea in Cardinalium evectorum ordinem, et BUSSIO, Nuntio jam Apostolico *Coloniensi*, cura rerum Catholicarum in patria nostra a Sede Apostolica iterum commissa.

III.

D. 8 m. Jan. 1707 BUSSIUS, tamquam Nuntius *Coloniensis* ADAMUM DAEMIUM (Daemen), proprio Marte, constituit Vicarium Apostolicum. DAEMIUS, *Amstelodami*, parentibus natus peregrinis divitibus, *Embricensis* hoc tempore erat pastor. D. 27 m. Dec. eodem anno,

(1) In hocce responso DE SWAEN, vicarius *Harlemensis*, causam Cleri defendit adversus arbitrium papale, ita ut non faceret cum libello supplici, quem, d. 29 m. Jan. 1705, Capitulum *Harlemense*, ad CLEMENTEM Papam XI dederat. Universe monendum, ante mortem MARTINI DE SWAEN, Capitulum *Harlemense*, non omnem prorsus amisisse vim.

(2) *Causa Eccl. Ultr.*, p. 42, 43.

DAEMIUS *Coloniae* consecratus est archi-episcopus *Adriano-*
nopolitanus. Tam modus quo DAEMIUS erat electus,
quam ipsius electi persona valde displicebant Tra-
jectinis. Capitulum vero *Harlemense* litis jamdudum
erat pertaesum; quinque igitur canonici *Harlemenses*,
THEOD. VAN GROENHOUT, THEOD. DE VISSER, NIC. VAN
DER MEER, CORN. VAN DER COOGEN et LAMB. SCHAEF,
Ordinibus *Hollandiae*, d. 17 m. Majo, tradiderunt
petitionem, ut DAEMIUS publice agnosceretur tamquam
Vicarius Apostolicus (1). Inde ab illo temporis puncto
Ecclesiae Harlemensis momentum decrevit, donec
a^o. 1717 Capitulum metropolitanum, *jure devolutionis*,
Ecclesiae Harlemensis curam gerere coepit.

Erga *Ecclesiam Trajectinam* severissime agere
haud desiit Summus Pontifex. D. 4 m. Oct. CLEMENS
Papa XI decretum edidit, quo 31 ex praecipuis, qui
CODDAEUM et Clerum *Trajectinum* defenderent,
libri et libelli prohibiti sunt (2), uti et caetera, quae
deinde hujusmodi scripta, editurus esset Clerus.
Pontifex igitur non tantum injuste oppressit Clerum, —
verum etiam litis aequam dijudicationem praetercludit.
CODDAEUS a^o. 1705 *Declarationem apologeticam* edidit,
quae vero minime Pontificis immutavit mentem.

Ordines autem, *Hollandiae* et *Frisiae Occidentalis*
Supremi Moderatores, animadvertentes vi tantum dis-
cordiis finem posse imponi, d. 18 m. Febr. 1708,
diem dixerunt JOANNI DE BRUYN, Jesuitarum harum
regionum Patri Provinciali, omnibus Jesuitis exilium

(1) HOYINCK. App. mon. 93.

(2) Id. App. mon. 90, ubi tituli illorum 31 librorum recen-
sentur.

comminati, nisi, intra trium mensium spatium, omnis tolleretur discordia inter Catholicos. Cardinalis vero PAULUTIUS, d. 17 m. Ap, illi consilium potius dedit ut conaretur ad aliam adducere sententiam Ordines, quam ut suam immutaret agendi rationem ⁽¹⁾. Jesuitae igitur d. 19 m. Jul. in exilium missi sunt ⁽²⁾, atque d. 14 m. Dec. iterum prohibitum est, ne sine Magistratum *placito* vel *viso* decretum publicaretur vel constitutio Sedis Apostolicae. D. 26 m. Apr. 1709 DAEMIO ab Ordinibus omnis interdicta est jurisdictio, et prohibitum, ne quis agnosceret in patria nostra Praelatum, nisi electum secundum patriae usum, et admissione munitum, a Magistratibus data ⁽³⁾. Nihilominus Nuntius Coloniensis, d. 21 m. Dec. 1708 ⁽⁴⁾, et m. Jan. 1709, omnibus interdixit Catholicis Belgicis, ne communionem haberent cum iis, qui DAEMIO haud obtemperantes, seditiosi essent aestimandi ac schismatici.

Novi etiam reconciliationis conatus irriti cesserunt. D. 29 m. Nov. 1708 enim DALENOORTIUS cum JACOBO KRYS, canonico Harlemensi et KNOTTERO, ad Supremam Hollandiae Curiam advocato, ad BUSSIUM *Coloniam* delegati erant ut de pace agerent. Prima

(1) Vid. HOYINCK. App. mon. 91.

(2) D. 7 m. Maj. 1710 Ordines Generales probaverunt et confirmaverunt illud decretum. Jesuitae vero permulti clauculum in patria nostra remanserunt, quam ob rem postea etiam saepe in exilium missi sunt. Vid. DUPAC, passim, al.

(3) Vid. *Bat. Sacra* II p. 537. — Qui directe vel indirecte obsequium praestarent in divinis Praelato, non a Magistratibus admissis, 1000 florenis mulctandus foret.

(4) HOYINCK. App. mon. 92.

vero, quam BUSSIUS postulavit, conditio fuit ut DAEMIUS agnosceretur tamquam Vicarius Apostolicus, atque frustra delegati rogarunt ut alius quidam praeficeretur Catholicis Belgicis Praelatus, donec Ordines DAEMIUM agnovissent (1). Nihil igitur illud colloquium profuit *Trajectinis*. Ut vero Cleri Trajectini magis etiam infringeretur robur, BUSSIUS *jubilaei* edidit *diploma*, quod consulto ad illos tantum misit pastores, qui DAEMIUM agnoscerent. Magistratus tamen *Lugduni Batavorum*, *Hagaecomitis*, *Amstelodomi*, *Harlemi*, *Horniae*, *Medembliciae* et aliarum urbium, ne diploma publicaretur prohibuerunt (2). Hanc vero agendi rationem a Sedis Apostolicae parte certissime id effecisse ut plurimi Catholici Ecclesiae Trajectinae derelinquerent partes, ne tali in divinis destituerentur auxilio, facillime explicari potest e Catholicorum opinionibus vulgaribus. Multi etiam peregrini Ecclesiastici, inprimis Regulares, in patriam nostram venerunt, atque *admissionibus* a DAEMIO acceptis, pastoratus invaserunt, ita ut adversariorum Ecclesiae Trajectinae increceret numerus.

IV.

Ecclesia Trajectina nequaquam ab omnibus Catholicis in lite sua sola est derelicta. Non tantum major *Universitatis Lovanensis* pars, aequae ac illi, qui in *Gallia* Jansenistae dicebantur, causam probarunt Trajectinam, verum etiam testimonia *communione* data sunt a permultis summi

(1) *Cause Eccl. Ultr.* p. 47.

(2) *Id.* p. 46.

ponderis Catholicis, quibus CODDAEI et Cleri probarentur acta, — decreta vero papalia irrita ac nulla denuntiarentur. Epistolae Episcopi *Aurensis* (Auren) DE BOURGES, ad pastorem *Amstelodamensem* DE PRATER, a^o. 1704 et 1705, adhaesionem testabantur CODDAEO. Abbates DE TORCIL, RENAUDOT, et THIBAULT, Vicarius generalis dioeceseos *Antverpiensis*, eandem enuntiaverunt sententiam (1). Canonicus ERCKELIUS docte et constanter jura vindicabat capituli. Illius inprimis consilio ductus Clerus Trajectinus, d. 21 m. Febr. a^o. 1709, solemnem edidit *declarationem*, qua sese adversus adversarios defendit. (2). D. 6 m. Mart. octavo Pastores *Amstelodamenses* similem dederunt *declarationem*, atque d. 10 m. Ap. tres alii idem fecerunt. Praecipui deinde *Hollandiae Australis* pastores ampliorem ediderunt *protestationem*, qua sese Sedis Apostolicae opposuerunt audaciae.

CODDAEUS ipse eandem, quam hucusque tenuerat, persecutus est agendi rationem. M. Nov. 1710 (3) aegrotabat. BUSSIUS BORGIAM abbatem, auditorem suum, ad illum misit, qui *Sebastenum* permoveret ad revocandam sententiam, et *simpliciter* formulae ALEXANDRI subscribendum. CODDAEUS ad formulae subscribendum adduci non potuit, nisi quoad *jus*; neque ad damnandum illa, quae ipse confecerat, scripta apologetica; (4) atque, d. 11 m. Dec, hac de re *declarationem* scripto mandatam BORGIAE tradidit. D. 18 m. Dec.

(1) Vid. *Recueil de tém.* p. III.

(2) *Causa Eccl. Ultr.* p. 32.

(3) *Bat. Sacra.* II p. 521.

(4) *Causa Eccl. Ultr.* p. 28 al.

Ultrajecti, in CATZII canonici domo mortuus est. Permulti Archi-episcopum lugebant, qui talia perpressus erat, ut Trajectina servaret jura. Interim Congregatio de Inquisitione *Romae*, d. 30 m. Dec 1710, decretum fecit ut CODDAEO, quando, sententiis haud revocatis, moreretur, sepultura ac preces interdicerentur ecclesiasticae. D. 14 m. Jan. 1711, post relationem de CODDAEI morte acceptam, decretum suum confirmavit Congregatio (1). CODDAEUS igitur in pago *Warmond*, prope *Lugdunum*, sepultus est, ex Sedis Apostolicae opinione schismaticus, ex *Ultrajectinae Ecclesiae* mente, etsi non semper satis strenuus et constans, — venerabilis tamen, et beatus veritatis propugnator ac martyr.

CAPUT III.

1710—1724.

USQUE AD CORNELII STEENOVENII CONSECRATIONEM.

I.

Nulla historiae Ecclesiae Trajectinae periodus majoris est momenti quam haecce. CODDAEO enim mortuo, Sedes vacabat *Trajectina*, atque igitur Clerus Trajectinus, sine exterarum Ecclesiarum

(1) HOYINCK. *App. mon.* 94.

ope, oppositionem suam adversus Pontificis injus-
titiam persequi non poterat. Ecclesiae Trajec-
tinae procul dubio intima erat de causae suae justitia
et pietate persuasio, — neque minus de exterarum
Ecclesiarum adhaesione, qua indigebat ut extranei
Episcopi illa peragerent officia episcopalia, quae jam
a nullo Ordinario, post CODDAEUM mortuum, admi-
nistrari possent, (1) *ordinationem sacerdotalem* inpri-
mis et *confirmationem*. Opus erat ut apud Clerum
certe constaret, *Pontificem* quidem, non vero *Ecclesiam*
Catholicam excommunicationes pronuntiasse; sese autem,
tali erga Pontificem agendi ratione, fideles esse pignoris,
sibi commissi, custodes. Extra *Ecclesiam Catholicam*
nullam adesse credebant salutis aeternae spem, verum-
tamen, tam factis quam verbis, alte praedicabant illos,
quos Pontifex excommunicaverat, probe posse ad Ec-
clesiam Catholicam pertinere. Trajectinis hanc
persuasionem sanctam abnegare non potest, quicumque, in
primorum saeculorum Ecclesiae Christianae constantia,
acerbissimis invitis persecutionibus, fidei animadvertit
ac virtutis praeclarum documentum. Illa, quae ex
rebus politicis imminebat, in *Gallia*, Jansenistis
persecutio, procul dubio etiam vindictam aliquam in
nonnullis excitavit Cleri propugnatoribus. Pietas vero,
eruditio, constantia, patientia, placabilitas inprimis
Trajectinorum aperte docent, nobilibus incitamen-
tis adscribendam esse eorum agendi rationem. Poste-

(1) CODDAEUS enim, ctsi facto ab Episcopalis fungendis mu-
neribus post suspensionis decretum destitit, ideo quod agendi
ratio papalis aperte erat illegitima, potestatem saltem habebat Ep-
scopalia exercendi.

rioris temporis historia nullum exhibet hujusmodi contra Pontificem oppositionis exemplum. Ecclesia Gallica sub NAPOLEONTE Imperatore, *Iusitanica* sacc. XVII medio, de tali cogitaverunt quidem constantia, mox vero decrevit Pontificum audacia, ita ut Episcopi haud consecrarentur nisi consentientibus Summis Pontificibus. Ecclesia vero Trajectina paucis constabat fidelibus; nullus aderat Princeps Catholicus qui eam defenderet, excommunicationes contemnens ac interdicta. Sedes igitur Apostolica Trajectinos opprimere pergebat, sperans fore ut tandem victrix recederet e pugna, et persuasa, quando schisma forte irreparabile foret, paucos tantum amissum iri Catholicos, qui universo orbi Catholico tamquam schismatici proponi possent et seditiosi. Pontifex perspexit constantia, etsi injusta, id posse perfici, ut potestas papalis Catholicis, indoctis saltem, irresistibilis videretur. Tali modo ex pugna haecce *Jesuitismus* lucrum capere potuit. Illud animadvertendum videtur ut aequae, tam Pontificis quam Cleri Trajectini, in haecce lite dijudicentur partes.

II.

D. 22. Dec. 1710, ERCKELIO, canonico Trajectino, mandatum est, ut intra 24 dierum spatium coram BUSSIO Nuntio sese defenderet de *protestatione* (1), et

(1) Vid. sup. p. 69. Contra *protestationem* illam DESIRANTIUS *consolatorium* ediderat; tunc vero ERCKELIUS *protestationem assertam* in lucem emiserat. Deinde ERCKELIUS *conseripsit protestationem denuo et tertium assertam*. Vid. infra, et *Append.*

de *protestatione asserta*, adversus DESIRANTII Jesuitae *consolatorium*, edita. ERCKELIUS ipsa scripta ad BUSSIUM misit, et illum certiozem fecit, talem ad tribunal exterum evocationem, cum legibus pugnare civilibus et ecclesiasticis patriae. D. 16 m. Jan. 1611 igitur excommunicatus est ERCKELIUS, et omnis illius jurisdictionis illicita denunciata et irrita. Sententia illa mox divulgata est.

BUSSIUS, ut Cleri Trajectini numerum immi-
nueret, et aperte enuntiaret, Sedem Apostolicam
illum Aatholicum habere, d. 13 m. Jan. *instructionem*
dedit *pastoralem* ad omnes Catholicos Belgicos, qua
pastores *seditiosi* (i. e. *Trajectini*) in tres distin-
guuntur partes, et casus indicantur in quibus sacra-
menta, ab illis administrata (1), irrita ac nulla sint
habenda (2). Omnis cum *Trajectinis* communio in
divinis interdicta est, ita ut illa *instructio* a parte
Pontificis signum esset apertum, schisma jam prorsus
esse constitutum.

Ab altera tamen parte Ordinum, supremorum Mo-
deratorum, Aatholicorum agendi ratio reconciliationem
esse impetrandam monuit. (3) STEENOVENIUS igitur et
DALENOORTIUS denuo ad BUSSIUM delegati sunt. M.
Jun. et Nov. 1711 *Coloniam* venerunt. Conditiones vero
BUSSIUS proposuit, quae accipi non poterant a Clero (4),
et prioribus jam colloquiis rejectae erant. Quid? quod

(1) Etiam matrimonia nonnullis in casibus irrita dicebantur,
ita ut Cleri Trajectini liberi nothi essent aestimandi.

(2) HOYINCK. *App. mon.* 95.

(3) Ordines valde improbabant evocationes ad externa tribunalia;
Vid. *Def. Eccl. Ultr.* p. 88 al.

(4) In formulis, quas proposuit BUSSIUS, etiam i. a. scriptum

praeterea subscriptionem postulabat formulae ALEXANDRI, secundum bullam, *Vineam Domini Zabaoth*, a^o. 1705 datam. Sic Jansenismi quaestio *palam* conjuncta est cum Ecclesiae Trajectinae causa. Neque igitur formula illa, neque constitutio Unigenitus, ansam dedit schismati in archi-dioecesi Trajectina, — utraque vero schisma irreparabile reddidit. In omnibus enim, qui deinde subsecuti sunt, reconciliationis conatibus, Pontifices vel illorum legati, ab Ultrajectinis *simplicem* postularunt subscriptionem, i. e. tam quoad *jus*, quam quoad *factum*. Pedetentim itaque juxta illam de Ecclesiae existentia et juri- bus quaestionem, *formula* et constitutio *Unigenitus* litis exstiterunt cardines in causa Trajectina. Hanc ob causam reconciliationis conatus a^o. 1711 notandi videntur praecae caeteris. ESPENIUS, PETITPIED, al. a *simplici* subscriptione abhortabantur, quam recusarunt ideo legati Trajectini, suum consensum cum Jansenismo *palam* enuntiantes. HOYINCKIUS a^o. 1724, rem ita proposuit acsi delegati, a^o. 1711, declarationem edidissent, sese, quod ad *fidem*, non posse cum Ecclesia Catholica facere, sed STEFNOVENIUS et DALENOORTIUS, jure suo, contra talem asseverationem in lucem emisissent *protestationem*, d. 29 m. Sept. 1724. ⁽¹⁾

erat: „Improbamus et ex animo damnamus quoscunque recursus ad potestates laicas contra auctoritatem Sedis Apostolicae et ipsius ministros.” Vid. *Rec. de div. tém. praef.* p. 20.

(1) Quoniam Trajectini probabant, nec formulam nec constitutionem ad *normam fidei* pertinere, subscriptio negata non erat *normae fidei* violatio. Idem nostris diebus probarunt BUYS: *Minzame Brieven*, II. *Noodige bijlagen* II. n^o. 9. H. J. VAN BUUL: *Herderlijk onderrigt*, al.

Negari vero non potest Ecclesiae Trajectinae hac in re agendi rationem haud posse explicari, nisi animadvertatur ipsam Sedem Apostolicam, proximis saeculis, secus cogitasse de controversiarum capitibus, quam antea. Haud injuste Jansenistae monent discrimen, quod premunt *jus inter et factum*, prorsus convenire cum HONORII Pontificis causa, qui *Monophysitismi* accusatus, et propterea a Concilio Oecumenico quinto damnatus est, quem vero BELLARMINUS, BARONIUS, al. defendunt. (1)

III.

BUSSIUS interim Cardinalis electus est, atque BORGIAE, qui ultimos CODDAEI vitae dies ita exasperaverat, a Sedis Apostolicae parte, Missioni Belgicae praepositus est, donec SANTINIUS, m. Nov. 1712, apud Aulam *Bruvellensem* Internuntius constitueretur, cui Missionis Belgicae cura commissa. SANTINIO etiam videbatur, uti epistola docet, quam d. 30 m. Nov. 1713, ad WROKELIUM scripsit, *Capitulum Trajectinum* illegitimum esse seditiosumque, *Ecclesiam Trajectinam* non amplius existere, neque a *simplici formulae*

(1) BELLARMINUS, BARONIUS al. haud contendunt *Monophysitismum* non esse haeresin, HONORIUM vero perperam illius haereseos accusatum dicunt. Concilium HONORIUM damnavit, et aperte igitur *fallibilitatem* papalem docuit. Qui autem HONORII vindicant causam, dicunt, Concilium rite egisse de *jure* (i. e. Monophysitismum esse haeresin), errasse tamen de *facto* (i. e. HONORIUM Monophysitismo fuisse addictum). Sic Jansenistae dicunt Pontificem, minorem Concilio Oecumenico, rite egisse de *jure* (i. e. theses illas quinque esse haereticas,) errasse autem de *jure* (i. e. JANSENIUM illarum thesium fuisse patronum).

subscriptione esse desistendum. Capitulum metropolitanum vero, quod a^o. 1712 post CATZII mortem, HEUSSENIUM et STAECKENBORGIUM constituerat Vicarios generales, etsi ad pacem proclive, strenue tamen jura sua propugnabat. SANTINIUS diem dixit omnibus, quos Vicarii generales Capituli constituerant pastoribus, et aliis quibusdam; — quoniam autem Ordines, Supremi Moderatores, satis indicassent sese aegre ferre tales evocationes, ne in Ordinum incurreret invidiam, SANTINIUS Nuntio Coloniensi jurisdictionem de hisce regionibus permisit *severam*, sibi vero *placidam* retinuit. (1)

Praeclarus Abbas TOSINIUS (2) interim concordiam restituere conatus est. Existentiam agnovit et jura Capituli metropolitani. Primo formulae ALEXANDRI simpliciter esse subscribendum ab Ultrajectinis duxit, *protestatio* vero *tertium asserta* ERCKELII hac in re etiam illius immutavit sententiam. Aula tamen pontificia TOSINII irritos reddidit conatus.

Quum ita pateret, si quando, brevi non saltem, de pace cogitandum fore, curam gerere debuit Capitulum metropolitanum ne, deficientibus militibus, finis imponeretur pugnae. Post enim CODDAEUM *Romam* profectum, nulli a parte Capituli consecrati erant sacerdotes. Multi peregrini pastoratus invaserant, vel suo ipsius, vel COCKII, vel BUSSII, vel DAEMII, vel SANTINII nutu, ita ut, nisi mox Capitulum metropolitanum pastoratibus

(1) DUPAC p. 284. Ad jurisdictionem *severam s. litigiosam* pertinent evocationes, excommunicationes, caet., ad *placidam* vero admissiones, nominationes caet.

(2) Ille a^o. 1717 celeberrimam edidit *Historiam Jansenismi*, in qua *Eccliesiae* etiam *Trajectinae* historia enarratur.

vacantibus provideret, sacerdotibus constituendis ad-
dictis causae *Trajectinae*, pedetentim omnes parochia-
rum pastores capitulo restituri essent. Ecclesia
Trajectina ipsa jam Ordinario carebat Episcopo, ita
ut Episcopi extranei, dimissoriis datis a Capitulo
metropolitano Trajectino, illud ordinationis sacerdotalis
auxilium praestare deberent. Quamvis leges canonicae
certe tali ordinationi nequaquam obessent, caute tamen res
erat tractanda, quia Pontifex illos, qui talia suscipe-
rent extrancos Episcopos, procul dubio seditiosos,
Trajectinorum socios, aestimaturus esset. Clanculum
igitur res perpetranda erat, ne nimium immineret Epi-
scopis extraneis periculum. LUC FAGAN, Episcopus
Middensis (Meath), postea *Dublinensis*, inde a m.
Maj. 1715 usque ad m. Sept. 1716, dimissoriis
HEUSSENI, duodecim consecravit sacerdotes, causae
Trajectinae addictos (1). Plures illius secuti sunt
exemplum; SOANEN, Episcopus *Metensis* (Metz), a.
1718 et 1719, DE LORAINNE, Episc. *Bajocensis* (Bayeux),
approbante Cardinali NOALLIO, a. 1720 — 1722, DE
CAUMARTIN, Episcopus *Blesensis* (Blois), al.

Qui autem, praeter celeberrimos QUESNELLIUM,
PETITPIED et FOUILLOU, imprimis Episcopos *Gallicos*
ad talem adduxerat benevolentiam, diaconus erat *Gal-*
licus BOULENOIS, juris utriusque licentiatu, qui ipse
consecrandos in *Galliam*, consecratos vero in *Belgium*
comitatus est.

Nuntius *Coloniensis* ARCHINTIUS, quum harum consec-
rationum sparsos audiret rumores, dd. 12 m. Mart,

(1) Vid. *Recueil de div. témoign.* p. III n. 21 sqq., ubi no-
mina inveniuntur tam Episcoporum, quam sacerdotum, tali modo
consecratorum.

13 m. Maj., et 26 m. Jun. quatuordecim sacerdotibus, quos, maxima pro parte perperam, ita ab Episcopis extraneis consecratos aestimaret, diem dixit. Ordines vero, supremi Moderatores, illam agendi rationem Nuntii improbarunt, quam ob rem ARCHINTIUS tutius duxit, d. 17 m. Oct. 1716, JOANNI BYLEVELTIO, *Hagaecomitis* pastori, officium tradere lites persequendi inceptas adversus consecratos. Neque illud Ordinibus placuit, ita ut BYLEVELTIUM juberent omnes intendere vires, ut tales vitarentur lites. Nihilominus BYLEVELTIUS, d. 2 m. Oct. 1717, a Nuntio Vicarius constitutus est Apostolicus ⁽¹⁾, decretis, quae a^o. 1702 et 1709 dederant Ordines, invitis. Clerus Trajectinus duas tradidit petitiones contra illum Ordinibus Hollandiae ⁽²⁾, et d. 3 m. Maj. 1718 BYLEVELTIUS ab Ordinibus Hollandiae, Zelandiae et Frisiae Occidentalis in exilium missus est, uti et m. Feb. 1720 ab Ordinibus Ultrajectinis.

IV.

Capitulum interea *Harlemense* jurisdictionis non amplius, inde ab a^o. 1705, gesserat curam. SANTINIUS, Canonicatibus vacantibus *Harlemensibus*, tales eligendos curaverat, et ipse elegerat, qui, etsi Capituli vindicantes existentiam, officia sua capitularia haud exercituri essent. A^o. 1713 THEOD. DE VISSER, a^o. 1715 THEOD. VAN GROENHOUT, a^o. 1716 NIC. VANDER MEER, a Capitulo *Harlemensi* constituti sunt Vicarii

(1) HOYINCK. *App. mon.* 106.

(2) Id. *App. mon.* 104, 105.

generales, Sede vacante, ea vero conditione ut nullam exercerent jurisdictionem (1). Haecce legibus repugnans conditio, admodum displicebat nonnullis dioeceseos *Harlemensis* pastoribus, causae addictis Cleri Trajectini. De Vicario generali VAN DER MEER querelas detulerunt Capitulo metropolitano. Capitulum *Trajectinum* ideo *Consultationes* rogavit praeclaros nonnullos doctores, *Lovanenses* inprimis, quomodo, secundum Ecclesiae Catholicae leges, agendum esset. Responderunt doctores tales Vicarios *Harlemenses*, ex jure canonico, nequaquam esse legitimos (2). Concilium enim *Tridentinum* Vicarios esse postulat *idoneos*. Conditio vero, ut officia sua deserant, tollit *idoneitatem*, ita ut illi *Harlemenses* non essent *idonei*, quales rogabat lex. Capitulum *Harlemense* igitur a metropolitano *admonitiones* accepit ut suo fungeretur officio; — frustra tamen. VAN DER MEER, d. 27 m. Sept. 1717 disertis verbis declaravit, sese nolle dimissorias tradere ut consecrarentur sacerdotes, quia sponderat nullam exercere jurisdictionem. *Jure* igitur *devolutionis* (3), Capitulum *Trajectinum* curam dioeceseos *Harlemensis* accepit, et pastorem *Winkhusianum* KNOTTERUM, Vicarium constituit generalem *Harlemensem*, mox *admissione*

(1) *Causa Eccl. Harl. App. mon. 15. Casus positiones*, quas dederunt de Ecclesiae Harl. statu doct. ESPENIUS, GIBERT, al.

(2) BROEDERSEN. *Tract. I not. 21 et 22. Cons. inprimis*, tamquam Capituli metropolitani, in sua agendi ratione erga Capitulum *Harlemense*, apologia: *Prior casus positio*, a^o. 1736 data a doct. GIBERT.

(3) Quando collegium quoddam ecclesiasticum, post admonitiones acceptas, munere suo fungi recusat, jurisdictio ab illo collegio *jure devolutionis s. devoluto*, detorquetur in collegium superius.

munitum *civili* (1). KNOTTERO brevi mortuo, STEENOVENIUS a Capitulo metropolitano, a^o. 1719, constitutus est Vicarius *Harlemensis*.

Capitulum Harlemense aegre tulit illam Capituli metropolitani agendi rationem, imprimis quum STEENOVENIUS PETRUM LOBS et LUCAM AHUYS eligeret Provisores Collegii *Lovanensis*, STAE. PULCHERIAE, ad Ecclesiam pertinentis *Harlemensem*. A^o. 1722 enim, canonici *Harlemenses*, VAN DER STEEN et WIJKERSLOOT, sese illius Collegii legitimos esse Provisores contenderunt, — quamvis certo hucusque nullam muneris sui gessissent curam, atque electi essent ab illis, quos Capitulum metropolitanum illegitimos dicebat Vicarios. Utraque pars causam suam egit coram Brabantiae Curia (2), donec tam collegium STAE. PULCHERIAE, quam alterum *Lovanense*, *Montecollense* (van den Hoogen Heuvel) dictum, ad Ecclesiam pertinens *Trajectinam*, adversariis traderetur Cleri *Trajectini*. Inprimis a^o. 1726, quum BARCHMAN WUIJTJERS a Capitulo metropolitano constitueretur Vicarius *Harlemensis*, magna exarsit lis *Trajectinos* inter et *Harlemenses*, socios antea et amicos. Utraque pars libellum obtulit apologeticum Supremis Ordinibus (3), et Capitulum *Har-*

(1) HEUSSENIUS, in petitione sua Ordinibus tradita, rogavit ut KNOTTERO, Vicario *Harlemensi*, concederetur *admissio*, *admissiones* laudans, a^o. 1705, sibi, CATZIO et MART. DE SWAEN Vicariis, concessas. Vid. J. H. DE VRIES: *De Bisschopp. Klerczy*. p. 33.

(2) Vid. KEMP. *Kort hist. verhael*, l. VI p. 90 sqq.

(3) Capitulum *Harlemense* a^o. 1725 edidit libellum cui titulus: *Kort verhael van de instelling van het biss. kapittel ontrent Haerlem*. Capitulum metropolitanum contra edidit; *Bemerkingen op zekere schrift, genaemd: Kort verhael*, enz. Uterque libellus manuscriptus tantum illo tempore divulgatus est, atque Ordinibus traditus. Vide

lemense Trajectinum praetensum appellare haud erubuit. Nihilominus Ecclesia Trajectina, *jure devolutionis*, *Harlemensis* suffraganeae curam gerere haud desiit. Quodammodo itaque schisma exstitit in Ecclesiae sinu, quam Summus Pontifex ipsam schismaticam dicebat. Capitulum vero metropolitanum *Harlemense* tamquam seditiosum tractare pergebat.

V.

Ecclesia Trajectina igitur suis gaudebat capitulo et sacerdotibus, quod vero non satis erat ut, secundum Ecclesiae Rom.-Catholicae indolem, gregi provideretur. *Confirmatio* enim fidelibus deerat, quam Ecclesiasticis tantum primi ordinis administrandam Ecclesia Pontificia concessit. Qui divites essent ac proceres in Ecclesia Trajectina, extraneos adire poterant Episcopos illius sacramenti causa, — sed non ita aegroti ac pauperes. Ille sacramenti defectus non tantum multos jam incitaverat Catholicos ut Capituli metropolitani derelinquerent causam, sese cum illa conjungentes parte, quae *Missionis* nomine gaudebat, verum etiam effecerat ut multi senescerent ac morerentur, illo sacramento destituti. Tali vero urgente fortuna adversa, auxilium inexpectatum nacta est Ecclesia Trajectina.

DOMINICUS MARIA DU VARLET ⁽¹⁾ theol. doct., qui

utrumque typis datum: BROED. *Tract.* I, mon. 53 et 54. *Causa Eccl. Harl. Pars I.* §. 11 n^o. 7.

(1) In op: *Recueil de div. tém.* p. IV et sqq. multae inveniuntur epistolae ad illum ex *America* et *Asia* datae, aeque ac testimonia de illius suspensione illegitima atque irrita.

per annorum decem decursum Missionarius Apostolicus in *Louisiana* et Vicarius generalis Episcopi *Quebecensis*, multorum nactus erat favorem ⁽¹⁾, d. 17 m. Sept. 1718, electus est Episcopus *Ascaloniensis*, senis Episcopi *Babyloniensis* Coadjutor cum successionis jure. Ex *America* hanc ob causam in *Galliam* reversus, Congregationem de propagande fide relationem rogavit de illa, quam acceperat, dioecesi. Mandatum illi est, ut quam citissime, *incognitus*, consecraretur et ad suam abiret dioecesin. D. 19 m. Febr. 1719, *Parisiis* consecratus est ab Episcopo *Condomensi* DE MATIGNON, et nuntium accepit de Episcopi *Babyloniensis* morte. Propterea d. 18 m. Mart. *Parisiis* profectus, nullas acceperat singulares instructiones, — neque, uti ipse testatur ⁽²⁾, *incogniti* causa, Nuntio Apostolico *Parisiensi* valedixerat. Aula *Gallica* id temporis Consulem misit *Chiraz*, ad *Persiae* urbem, quocum VARLETUS iter suscepit. *Turcarum* causa, per patriam nostram et *Russiam* iter faciendum statuerunt. D. 25 m. Mart. *Bruxellas* venit *Babyloniensis*, unde postridie jam abiit, Internuntio haud salutato. D. 2 m. Ap. *Amstelodamum* venit, ubi hospitio fructus est JACOBI KRIJSII, Missionum exterarum in patria nostra superioris, Clero *Trajectino* addicti pastoris. Post multas dubitationes, rogatu illius sacerdotis, dd. 19, 21 et 23 m. Ap., 604 parochianos, pauperes orbosque confirmavit. D. 25 m. Ap. navi *Amstelodamo Castellum Petri* (*Petersburg*) abiit, ubi d. 31 m. Maj. appulit. Verosimiliter interim Congregatio *Romae* singulares confecit in VARLETI usum instructiones, in quibus

(1) *Ibid.*

(2) (1^o) *Apologie de l'Evêque de Babylone.*

etiam formulae ALEXANDRI et Constitutionis Unigenitus postulata erat subscriptio. Illas vero instructiones illi haud esse traditas propter discessum festinanter susceptum, et sero etiam Internuntio *Bruxellensi*, communicandi causa, esse commissas, inde patet quod, quamvis VARLETUS d. 18 m. Mart. *Parisiis* jam esset profectus, adhuc d. 4 m. Apr. Congregationis *Romae* Secretarius de loco inquireret, ubi *Parisiis* VARLETUS habitaret.

M. Nov. 1719 VARLETUS *Schamakeae* venit, in *Persiae* urbe, ad maris *Caspensis* littus, — ubi saepe in Jesuitarum templo sacra fecit, atque ISAIAE, *Albaniae* Patriarchi, amicitiam nactus est. D. 15 m. Mart. 1720 vero Jesuita BACHOU, Vicarius Apostolicus *Schamakeae*, documentum illi tradidit, quo Episcopus *Ispahanensis*, d. 17 m. Dec. 1719, *Babyloniensem* suspensum declarat, uti ferebat decretum, secundum mandatum, quod, d. 7 m. Maj. 1719, Pontifex cum Congregatione fecerat. Suspensionis decretum hasce adduxit adversus VARLETUM causas; 1^o. quod *Parisiis* profectus Nuntium Apostolicum haud salutaverat, neque Constitutioni Unigenitus subscripserat, — 2^o. quod in *Provinciis Foederatis*, sine Internuntii *Bruxellensis* venia, muneribus functus erat ecclesiasticis. VARLETUS *Apologiam* postea edidit, quo iudicii injustitiam ostendit. (1) Negari certe non potest hac quoque in lite omnes legitimas jurisdictionis formas esse violatas;

(1) In illa *apologia* etiam VARLETUS exponit qua ratione secundum jura canonica de Episcopis agendum, — atque quam ob causam irritum sit illud, quod BACHOU tradidit, suspensionis decretum.

Constitutio Unigenitus numquam illi ut subscriberet, erat proposita, et ipse dicit sese ignorasse confirmationis *Amstelodami* administrationem ullum umquam offensuram esse. (1)

VARLETUS nequaquam tali illegitimo et irrito decreto reapse suspensum sese esse credidit, et characterem Episcopali orbatum. *Sorbona* eodem modo ac *Babyloniensis* de illo decreto cogitabat. Veruntamen paulisper cedendum videbatur. D. 6 m. Maj. 1720, VARLETUS *Schamakea* jam profectus est, et d. 29 m. Maj. *Astrakaneam* venit, et d. 20 m. Oct. *Mosciam* (Moscou), ubi per aliquod temporis spatium degebat. In *Europa* ipse et amici omnes intenderunt vires ut ad alias permoverent sententias Summum Pontificem. Nequaquam vero sententiam immutavit Sedes Apostolica. VARLETUS, injuste oppressus, a^o. 1721, *Amstelodamum* rediit, atque deinde totum se causae tradidit misere afflicti Cleri *Trajectini*. Capitulum metropolitani summo cum gaudio suspensum excepit *Babyloniensem*, quem propter characterem Episcopalem summi faciebat, et propugnatores aestimabat divinitus sibi datum.

VI.

Quum Clerus *Trajectinus* quotidie animadverteret parum de justitia papali esse exspectandum, rem suam non amplius coram Pontifice, sed coram alio tribunali agendam esse perspexit. QUESNELLIUS diu

(1) Vid. praeter apologiam VARLETI, — ESPENII et GISBERTI *Cusus positiones*, — op: *Recueil de div. tém.* pars IV.

jam consilium dederat ut, ex lege, Clerus Trajectinus appellaret ad Concilium futurum generale, quo totius Ecclesiae Catholicae auxilium rogaret ⁽¹⁾. Experientia enim aperte docebat a tribunali papali hac in re numquam exspectandum esse aequum iudicium, ita ut ad superius provocandum esset tribunal. Appellandi jus abunde probatum est ⁽²⁾, et etiamsi sine gravibus causis appellatio institui nequeat, legitima tamen est defensionis via omnibus, qui discrimen admittunt Pontificem inter et Ecclesiam, atque huicce adscribunt talem auctoritatem, justitiam et infallibilitatem, qualem illi abnegent. HEUSSENIUS igitur, strenuus Capituli metropolitani Vicarius, illi appellandi institit consilio, aeque ac STEENOVENIUS, qui, HEUSSENIO tribus ante appellationem mensibus mortuo, Capituli Vicarius electus est, et Kal. Maj. 1719 *admissionem* accepit civilem ⁽³⁾.

Capitulum metropolitanum a^o. 1703 appellaverat ad *Pontificem melius consultum*, a^o. 1709 *protestationem* emiserat, adversus illas quas perpessum erat oppressiones, — atque d. 9 m. Maj. 1719, solemniter *appellavit* ad futurum Concilium generale ⁽⁴⁾

Aperte tunc Ecclesia Trajectina causam

(1) Vid. etiam epistolae, quas scripsit QUESNELLIUS, in: *Hoyinck*, *App. mon.* 97—102.

(2) BUIJS: *Noodige Bijlagen II. Minzame Brieven aan Bramer*. FAGMANUS: *Cap. Super eo*; — *de Appellatione* n^o. 47. WARMESIUS: *Comment de App. Cap. I* n^o. 1 et 4. Concilium Florentinum non admisit appellandi facultatem, — tenendum vero est, Concilium Tridentinum, uti ipse PALAVICINIUS monet, decreta quidem comprobasse conciliorum Basileënsis et Constantiani, non vero Florentini.

(3) J. H. DE VRIES, *De Biss. Klerezy*, p. 23.

(4) Academia Parisiensis illam appellationem probavit, d. 6 m. Jul. 1720. Vid. *Recueil de div. tém.* p. III n^o. 28.

suam conjunxit cum Jansenismi quaestione, quum a futuro illo concilio generali non tantum iudicium rogaret de statu juribusque Ecclesiae Catholicae in *Provinciis Foederatis*, post Reformationem, verum etiam de Constitutione Unigenitus, uti Appellantes fecerant in *Gallia* ⁽¹⁾. Ita etiam Capitulum metropolitanum arctius sese conjunxit cum iis, qui in *Gallia* Jansenistae dicebantur.

Eodem modo VARLETUS, d. 15 m. Febr. 1723, ad concilium provocavit futurum generale, cum *Ultrajectinis* se jungens. VARLETI igitur et Capituli metropolitani causa sub Universae Ecclesiae Catholicae iudicio erat posita. Uterque speraverat fore ut a Summo Pontifice regula observaretur. *Vite pendente nihil innovetur*. Donec vero Ecclesiae tribunal, ad quod provocaverant, sententiam tulisset, neuter desistendum ducebat a defensione adversus Pontificis injuriam. Multi exteri talem juris propugnationem admodum laudabant.

D. 8 m. Maj. et d. 11 m. Jun. 1721, quum INNOCENTIUS Papa XIII ad Sedem promoveretur Apostolicam, Capitulum metropolitanum, pacem petens, litteras *Romam* dedit. Nulla vero attentione dignae Pontifici tales videbantur preces. Alio igitur modo abhiuc res erat tractanda, ne Clerus pedetentim interiret. Jura Trajectina fortius erant vindicanda, Ecclesiae viduae Episcopus reddendus. Aderat grex, aderat Episcopus *Babyloniensis*, qui consecrationem Episcopa-

(1) Vid. etiam libellus anonymus, sine loci nec temporis, quo typis datus sit, indicatione, cui titulus: *Mémoire sur la Catholicité de ceux qui ont appelé de la constitution „Unigenitus” au futur concile général.*

lem administrare posset; — invito igitur etiam Pontifice, de Episcopo eligendo Trajectino cogitari poterat.

VIII.

Diu jam Capitulum metropolitanum de eligendo Episcopo cogitaverat (1). Celeberrimi enim theologi et jurisconsulti, *Lovanenses* et *Gablici*, quorum Capitulum rogaverat sententiam, communi consensu enuntiaverant Capitulo *Trajectino*, procul dubio, jus contingere Episcopum eligendi, et consecrandi, invito etiam Pontifice, quando ille rogatus, sine justa causa, confirmationem recusaret (2). Ex primorum saeculorum Ecclesiarum exemplo, ostendebant confirmationem papalem non prorsus esse necessariam ad consecrationem legitimam, imo vero omnem hac in re intercessum papalem, posteriorum saeculorum esse effectum, quae Episcopo metropolitano jura abrogaverant, minus juste Pontifici concessa (3). Episcopi inprimis *vicini* erant, quibus ab ipsa natura cura imposita Episcopum consecrandi *Trajectinum*, ut Ecclesiae subvenirent oppressae. Si vero illi Episcopi *vicini* tale charitatis officium praestare recusarent, alii Episcopi opitulari deberent (4). Episcopi *Babyloniensis* praesentia effecit ut *Trajectinus* consecrari posset, majore haud immente

(1) BROEDERSEN: *Tract. Hist. II proleg.* 1—13.

(2) Vid. *Recueil de div. t m.* p. I. *Dissertatio de misero statu Ecclesiae Ultr.*, a. 1724. Cap. I—III. *Seconde apologie de l'Ev que de Babylone*, p. II. § IX, al.

(3) *Def. Res. Doct. Lov.* disq. II. § 10.

(4) *Dissert. de mis. statu*, C. IV.

periculo illi, qui consecrationem administraturus esset (1). Concilium quidem *Nicaenum* constituit, ut Episcopi consecrarentur coram tribus Episcopis, quorum duo nempe adessent illi, qui sacramentum administraret, — sed duo illi ideo tantum adesse debebant ne inconsulte vel negligenter administraretur sacramentum, — ita ut illorum praesentia necessaria non esset ad consecrationis characterem Episcopalem. Illa igitur, ut duo adsisterent Episcopi, lex negligi poterat, quando impedimentum obstaret inextinguibile. Ipsa Sedes Apostolica per plures administrandas curaverat consecrationes Episcopales, neglecta illa lege, quas legitimas et canonicas omnis agnovit orbis Catholicus (2); — et profecto nulla aderat causa cur unice Summo Pontifici potestas esset illam negligendi legem, vel ab illa dispensandi.

Propter tales, quas undique accepit adhortationes, d. 16 m. Nov. 1722, Capitulum metropolitanum ad Episcopum eligendum progrediendum esse statuit. ERCKELIUS, decanus, in ineruditorum usum colloquiis familiaribus edendis causam Trajectinam, ad populi captum explicare conatus est (3). D. 12 m. Dec. 1722 ESPENIUS cum duobus aliis doctoribus *Lovanen-*

(1) Vacante id temporis sede Papali, Cardinales *Romae* litteras dederunt ad Internuntium *Bruvellensem*, qui Episcopos hortaretur vicinos, ne auxilium praestarent in consecrando Episcopo *Ultrajectino*.

(2) Vid. *Diss. de mis. statu*, Cap. VI. *Seconde Apologie de l'Evêque de Babylone*, p. II, § XII. Per plures a Sedis Apostolicae parte consecratos esse Episcopos legitimos, exempla probant v. c. SCHENCKI, SASBOLDI, ROVENII, TORRII, caet.; nostris etiam diebus Emin. ZWIJSEN, VAN YBEE, al.

(3) *Samenspraek tusschen Pieter Reghart en Jan Waermond, al.*

sibus consultationem de illius, quam in mente habebat Capitulum, electionis et consecrationis legitimitate dederunt. Multi illi *Lovanensium doctorum resolutioni* adhaerebant (1), quamvis misera temporum conditio prohibuit ne palam plures enuntiarent approbationem. Cum Ordinibus, Supremis harum regionum Moderato-ribus, de publice comprobando agebatur Episcopo *Trajectino*. Publica quidem agnitio et comprobatio accipi non potuit, certe vero conniventia benigna a Magistratuum parte patuit (2). Ad Pontificem plures a Capitulo datae sunt epistolae, quae vero responso dignae non habebantur.

Hanc ob causam d. 27 m. Ap. 1723 Capitulum metropolitanum ad electionem transiit, virtutis ac constantiae luculentissimum documentum. CORNELIUS STEENOVENIUS electus est, cujus persona nec Clero Trajectino, neque Magistratibus displicere poterat. Eodem die ad Pontificem de electione litterae datae sunt, quem Capitulum simul confirmationem rogavit papalem atque dispensationem a Constitutione *Nicaena* de tribus, qui consecrationi interesse debeant, Episcopis. STEENOVENIUS ipse scripsit ad Pontificem, electionis exoptens comprobationem, — et tamquam fidei orthodoxae documentum, *Confessionem* PII Papae

(1) Vid. *Recueil de tém.* p. V, § I. Sic RICCARDI, Imperatoris Neapoli legatus; PETRUS PARADAMUS, abbas Vlierbacensis; DIDERICUS DE VIALXNES, ROLLANDUS, CHAISSAIGNE, GAMET, Doctores; Episcopi *Bononiensis*, *Antissiodorensis* (Auxerre), *Sanitiensis*, et *Montepessulaneus*.

(2) Inprimis consulantur epistolae, quas Nob. VAN REEDE VAN RENSWOUDE hac de re conscripsit ad Ven. ERNEST RUTH D'ANS, canonicum Stae Gudulae Bruxellensis. *Rec. de tém.* p. V.

IV *Romam* misit. Kal. Aug. et d. 29 m. Dec. denuo Capitulum epistolas dedit ad Summum Pontificem. Mox tamen patuit Pontificem nullo alio modo nisi excommunicationibus, ad tales litteras responsum daturum esse.

Emin. SPINELLIUS, id temporis Internuntius Apostolicus apud Aulam *Bruxellensem*, d. 4. m. Maj. 1723, epistolam dedit, qua Clerus Trajectinus et imprimis STEENOVENIUS injuriose tractarentur. Talia Clerus silentio praetermittere non potuit, quam ob rem epistolam conscripserunt, d. 26 m. Jun., ad SPINELLIUM ⁽¹⁾, qua denuo sese defenderent, jura vindicantes Capitularia, et probantes, Constitutionis Unigenitus denegatam subscriptionem minime esse a fide Ecclesiastica recessum. Diserte enim enuntiarunt sese omnem recipere et tueri doctrinam Catholicam, non vero illas posteriorum saeculorum, de infallibilitate ac potestatis plenitudine papali, sententias.

D. 9 m. Mart., Kal. Jun., et d. 22 m. Aug. 1724, Capitulum metropolitanum ad plurimos Cardinales, Episcopos et Universitates de STEENOVENII electione dedit nuntium ⁽²⁾. Quamvis permultos Catholicos extrancos probare Capituli agendi rationem manifestum esset, temporum injuriâ pauci tantum palam suam enuntiarunt comprobationem ⁽³⁾.

D. 15 m. Oct. 1724, STEENOVENIUS consecratus

⁽¹⁾ Saepe typis data illa epistola. *Def. Eccl. Ultr. per ERCK.* al.

⁽²⁾ Plurimae typis datae in op: *Causa Eccl. Ultr.*

⁽³⁾ DUPAC p. 317. Quamvis litteras non darent, rem probarunt, praeter alios, Episcopi *Antverpiensis*, *Atrebatensis* (Arras), et *Audomaropolitanus* (Saint-Omer).

est Archi-episcopus *Ultrajectinus*; *Babyloniensis* consecrationis administravit sacramentum, duo ex praecipuis Cleri Trajectini sacerdotibus Episcoporum *ad-sistentium* vices occuparunt. Abhinc igitur Ecclesia Trajectina exstare poterat, sibi que providere, invita Sede Apostolica; gaudebat enim nunc, quo diu destituta fuerat, Episcopo proprio ac ordinario.

Postquam igitur per viginti duos annos Clerus Trajectinus sese defendit adversus audaciam Pontificum, auxilio fretus et benevolentia Episcoporum extraneorum, tandem spem alere poterat, fore ut tali non amplius egeret auxilio ad *ordinem* conservandum *hierarchicum*, et *confirmationis* administrandum sacramentum. Qui Clero adhaerebant Trajectino, Dei jam laudabant providam curam, qui benigne prohibuerat, ne Pontificum injustitia vel prorsus pessum daret Ecclesiam Trajectinam, vel *Trajectinos* multis saltem destitueret bonis spiritualibus, quae magni faciunt Romano-Catholici.

PERIODUS SECUNDA.

1724—1758.

INDE AB ARCHI-EPISCOPO TRAJECTINO CONSECRATO
USQUE AD ELECTUM, A CLERO TRAJECTINO,
EPISCOPUM DAVENTRIENSEM.

CAPUT I.

1724—1742.

USQUE AD CONSECRATUM EPISCOPUM HARLEMENSEM.

I.

Quomodo Sedes Apostolica de STEENOVENII
judicaret consecratione, mox patuit excommunicationi-
bus, quas BENEDICTUS Papa XIII dedit contra electum
Archi-episcopum, et *Babyloniensem*, haud secus ac
contra omnes, qui ad rem incitavissent peragendam,
vel qui STEENOVENII agnoscerent jurisdictionem. ⁽¹⁾.

Consecratio ab Ordinibus, Supremis Moderatoribus
Provinciarum Foederatarum, quamvis non palam admissa

⁽¹⁾ Illae excommunicationes a Clero Trajectino illegitimae ductae
sunt, ideoque nullae. Vid. prae caet: *Seconde Apol. de l'Evêque
de Bab.*

nec comprobata, nullo vero modo prohibita est, atque *conviventia* tractata (1), sparsis invitis rumoribus (2). Litterae imprimis, quas Ordines dederunt ad *Venetorum Ducem* (3), probant qua ratione tractaretur STEENOVENIUS Archi-episcopus, quamvis legati Catholici, *Hispanensis* praesertim, omnes intenderent vires ne palam agnosceretur. (4). Vetera enim adversus cultum Romano-Catholicum, in patria nostra, decreta adhuc exstabant quidem, sed reapse omnem amiserant vim. Magistratus tamen Protestantes timebant, ne Jesuitismi et Ultramontanismi in hisce regionibus increscerent vires, ideoque non favere non poterant Clero Trajectino, a Pontifice oppresso, quia regimen illi abnegaret proprium et ordinarium de hisce regionibus, talibus imbutus sententiis, quae reipublicae nocere haud possent (5).

(1) Illa *conviventiae* voce utitur etiam anonymus quidam inter Clerum Trajectinum, qui post electum jam Episcopum Daventriensem, libellum edidit, quo Clerum hortaretur ne ad alios progrediantur eligendos Episcopos in dioecesibus a^o. 1559 constitutis. Libelli titulus est: *Examen des nouvelles considérations, qui proposent à nos prélats un motif pressant de remplir un plus grand nombre de Sièges Episcopaux dans ces pays.*

(2) Nuntius *Parisiensis* rumorem sparsit, rem magis etiam Magistratibus displicere Belgicis, quam Pontifici, atque STEENOVENIUM et capituli decanum ERCKELIUM 1500 ducatis esse mulctatos. *Recueil de tém.* pars IV.

(3) DUPAC, p. 329.

(4) DIDERICUS DE VIAIXNES, in epistola d. 7 m. Dec. 1722 dicit, cum Ordinibus agi de Episcopo eligendo et admittendo; Magistratum *Amstelodamensem* rei favere, sed nolle aliquid statuere sine Ordinum decreto.

(5) Vid. BUYS: *Proeve van antwoord.* MARTINET: *Hist. der wereld.* V. p. 142.

Clerus Trajectinus et illo tempore et deinde ⁽¹⁾ rite discrimen fecit jura inter Ecclesiae et Reipublicae, et Magistratibus jus concessit *circa sacra*. Hinc Clerus non lugebat nec revocandam existimabat illam, quam a^o. 1528 HENRICUS BAVARUS Episcopus fecerat, *temporalitatis translationem* in CAROLUM V. SANCTI BERNARDI secutus sententiam, nequaquam temporale Summi Pontificis dominium inter prosperos habet triumphis religionis Christianae de Ethnicismo eventus ⁽²⁾.

Procul dubio antequam anno 1796, religioni Reformatae, in patria nostra, abrogaretur locus, quem per duo saecula occupaverat, de nulla totius Cleri Trajectini, a parte Supremorum harum Provinciarum Moderatorum, agnitione et admissione civili publica sermo esse potuit, — quod cum tali primatu religionis Reformatae congruere non potuisset. Quamvis vero Ordines nullum ediderint decretum, quo illum primatum religionis Reformatae delentes, Clero Trajectino omnia traderent sectae, quam Respublica comprobaret, jura ac privilegia, — pedetentim tamen post STEENOVENIUM Archi-episcopum consecratum animadvertimus, singularum Provinciarum Moderatores et Ordines non tantum Clerum benevole tractasse, verum etiam cum Cleri *Pastoribus*, et *Episcopis*, titulis suis fungentibus, egisse, ita ut *implicite* certe admiserint et agnoverint Clerum Trajectinum. In illis saltem *admissionis* docu-

(1) Vid. *De Regering en de Klerczy*, a^o. 1845. J. H. DE VRIES: *De Bissch. Klerczy*, p. 102, qui adhuc magistratibus permittit de Episcoporum electorum persona, etsi non de ipso eligendi jure, judicium suum enuntiandi potestatem.

(2) *De pragm. sanctie en het concord. tusschen Leo X en Frans I.*

mentis, quae hodie adhuc exstant ⁽¹⁾, permulta sunt in quibus Magistratus non tantum Urbium, verum etiam Provinciarum, agnoverint *Pastorum* et *Episcoporum* titulos. Monumentum utique superest, in quo consilium ineundum esse dicant quidam ex Ordinum numero, ut nec BARCHMANNO nec alii jus concederetur titulum assumendi *Trajectinum*, nec alium, quem Episcopi, ante Reformationem, in patria nostra gesserant, — sed numquam hujusmodi decretum ab Ordinibus Hollandiae et Frisiae Occidentalis reapsecutum est ⁽²⁾. Neque etiam defuerunt opportunitates, in quibus Magistratum auxilium intercesserit in vindicandis Cleri Trajectini juribus, adversus Missionariorum impetus ⁽³⁾. Quoniam vero brevitati studendum, digito tantum illa documenta hoc loco tangi possunt.

(1) Vid. J. H. DE VRIES, *De Biss. Klerczy*. Sic. e. g. a^o. 1732, VAN DER KLOES, pastor in urbe *Zaandam* constitutus est ab Episcopo BARCHMANNO d. 3 m. Febr. Secundum illud BARCHMANNI diploma *admissionem* accepit a Consiliariis Commissis Hollandiae et Frisiae Occidentalis, — l. l. p. 54. Eodem modo, Kal. Nov. 1742. HIER. DE BOCK, *Episcopus Harlemensis*, ab iisdem *admissionem* accepit, ut illo fungeretur munere, l. l. p. 57. Ita quoque JOANNES VAN STEPHON, *Episcopus Harlemensis*, l. l. p. 63. Permulta adhuc alia in Archivis exstant, admissionis diplomata, in quibus Magistratus titulos Episcoporum diserte inseruit.

(2) Ibid. p. 50—54.

(3) Vid. Ib. passim. Sic a^o. 1718, Ven. VAN GERVEN, Missionarius, ex auctoritate Vicarii Apostolici BILJEVELLII, pastorum invadere conatus est Ven. VAN POELLENBURG, pastoris Clero Trajectino addicti, in pago *Assendelft*. Vicarius Capituli HEUSSENIUS propterea accusavit Ven. VAN GERVEN, qui 1000 florenis mulctatus, et ex Hollandia, Zelandia et Frisia Occidentali pulsus est. l. l. p. 38. — A^o. 1726 DE HAAN, Clero Trajectino addictus, ab Episcopo BARCHMANNO, pastor constitutus est *Amstelodamensis*, in Sacra-

II.

Ecclesia Trajectina haud frustra speraverat fore ut multi favoris daturi essent et adhaesionis documenta. STEENOVENIUS mox *declarationem* edidit *publicam* ad Universam Ecclesiam Catholicam, simul sese conjungens cum solemnī appellatione a^o. 1719 interposita, ut Ecclesia Catholica, non Sedes Apostolica una, suam dijudicaret causam. Brevi Archiepiscopus *Trajectinus*, ab omnibus orbis Catholici partibus, adhaesionis et communionis in divinis accepit documenta ⁽¹⁾, et, quandoquidem illi, qui adhaesionem suam declararent, communione fruebantur *immediata* cum Summo Pontifice, Clerus Trajectinus per illos communionem habebat *mediatam* cum Sede pa-

rum Virginum domo. Missionarii strenue illi resisterunt, sed Consules *Amstelodamenses* ad munus suscipiendum auxilium illi praestiterunt, l. l. p. 48. — A^o. 1771, Magistratus *Amstelodamensis* Episcopo *Harlemensi* auxilium praestitit, in constituendo pastore in Orphanorum domo, reluctantibus Missionariis, l. l. p. 77. — Ut caetera hic missa faciamus, in memoriam revocare liceat litem a^o. 1785 et 1786 *Harlemi* actam, quum FRANCISCUS VAN DIJK, Clero Trajectino addictus moreretur, qui nonnullos annos vixerat in domo *Sti. Jacobi*, pertinente ad Missionarios. Ille VAN DIJK testamento suo 1500 florenos domni *Sti. Jacobi* adsignavit, ea conditione ut pro animi sui salute preces funderentur ecclesiasticae, tribus assumtis Cleri Trajectini sociis, qui curam gererent ne illa negligeretur conditio. Provisores autem illius domus illam conditionem negligendam duxerunt, VAN DIJK haereticum dicentes, pecuniam vero sibi tradi postularunt. Res coram tribunali Harl. acta. Judices Protestantes, Cleri Trajectini vindicantes Catholicitatem, conditionem executioni mandari posse et debere decreverunt, — atque propter recusatam conditionem pecuniam Provisoribus haud esse tradendam statuerunt. Vid. *Consultation de 22 avocats*, a^o. 1786.

(1) Vid. *Rec. de tēm.* p. V. §. II.

pali (1). Partim litterae directae, partim vero testes fide digni certiore reddiderunt Ecclesiam oppressam de multorum consensu. Sic de adhaesione constabat non tantum Cardinalis NOALLII, sed etiam Episcoporum *Engolismensis* (Angoulême), *Bonomiensis*, (Boulogne), *Antissiodorensis* (Auxerre), *Montepessulanci* (Montpellier), *Sanitiensis* (Senez), *Bajocensis* (Bayeux), *Apamiensis* (Pamiers), *Matisconensis* (Macon), *Rhuteni* (Rhodez), *Melensis* (Metz), *Trecensis* (Troyes), al. Praeter alios, DE MAZIERRE, Vicarius generalis *Rhutenus*, TREMBLAY, Missionum exterarum praescs, abbas LAIGNAU, Vicarius quondam generalis dioeceseos *Catalaunensis* (Châlons), adhaesionem suam declararunt. Patebat itaque causam Cleri Trajectini nequaquam ab Universa Ecclesia Catholica pro impia esse habitam. Manifestum erat, illam non adesse, quam Pontificii laudant, unitatem inter Catholicorum sententias, — neque inanem fuisse Capituli metropolitani appellationem ad Concilium generale, dummodo tale Concilium a nutu non prorsus penderet papali.

Pontifex aegre ferebat Trajectinorum acta. D 21 m. Febr. 1725, in lucem emisit excommunicationem, quae palam enuntiaret ad Ecclesiam Catholicam non pertinere Clerum Trajectinum, STEENOVENIO addictum, — schismatismi illum esse ac haereseos reum (2). STEENOVENIUS brevi post illam excommunicationem diem obiit supremum, d. 3 m. Ap. 1725. Sedes Apostolica

(1) Quanti Clerus Trajectinus, nostris etiam diebus, illam faciat cum Summo Pontifice communionem *mediatam*, vid. P. BUYS: *Noodige Bijlagen*, al.

(2) Vid., supra pag. 100.

repentinam illius mortem, Dei adversus *Trajectinos* irae signum esse clamabat; — Clerus *Trajectinus* plangebatur defunctum Archi-episcopum. Verumtamen, etsi gravis erat clades, iterum Ecclesiae succurri potuit viduae, propter VARLETI Episcopi benevolum animum. Manifestum vero erat, tali modo ex unius tantum viri praesentia et benevolentia, quod ad homines, Ecclesiae *Trajectinae* pendere existentiam ac perduractionem. Mors igitur STEENOVENII Capitulum metropolitanum commonebat, haud sufficere Archi-episcopi *Trajectini* consecrationem.

III.

Quum vero excommunicatio papalis haereseos moveret et schismatismi adversus Ecclesiam *Trajectinam* suspicionem, et Clerus haud deflectendum esse existimaret a sua, adversus injustitiam papalem, defensione, opus erat ut palam sese defenderet Ecclesia oppressa. Multi jam in lucem emissi erant libri et libelli apologetici ab *Ultrajectinis*, quamvis non satis accurate adhuc omnes causae partes essent tractatae. *Protestatio* (1), ter jam felici cum successu *asserta* erat ab ERCKELIO, a^o. 1710 adversus *Consolatorium*, (*primum*) Jesuitae DESIRANTII, a^o. 1712 adversus alterum ejusdem *Consolatorium*, a^o. 1714 adversus duas *Epistolas* EUSTACHII JANSENI (2) ad ERCKELIUM scriptas. HEUSSENIUS jam a^o. 1714 *Bataviam Sacram* ediderat, et a^o. 1719 *Historiam Epi-*

(1) Vid. supra, pag. 70.

(2) Sub illo pseudonymo scripsit DONAVENTURA VAN DIJK (s. van den Dijke).

scopatum, historicas causae Trajectinae apologias. QUESNELLIUS etiam a^o. 1720 Capitulum metropolitanum defenderat (1). Diaconus quidam Gallicus, nomine BOULENOIS, Trajectinos propugnauerat (2), atque, ut caetera missa faciamus scripta (3), a^o. 1724 in lucem emissa erat eruditissima defensio, sub titulo: *Causa Ecclesiae Ultrajectinae*, sed novi adversariorum impetus novas provocabant apologias.

M. Sept. 1724, *Monitum* in lucem prodiit ab anonymo conscriptum, qui brevi promittebat *historiam* edere *Ecclesiae Trajectinae*, qua argumentis historicis, dogmaticis et canonicis probaretur *Ecclesiam Trajectinam* Reformatione esse eversam (4). Anonymus ille de prioribus adversus Trajectinos conscriptis libris iudicium tulit parum honestum, *ploratores multos, defensores nullos* adfuisse dicens. Propter huiusmodi programma strenuum omnes exspectabant impetum. Praeterea HERMANUS DAMIUS, Doct. Lov. a^o. 1725 duas edidit *Dissertationes de Episcoporum numero*, quem legitima postularet canonica consecratio Episcopalis, quibus probare conatus est STEENOVENII consecrationem ideo quoque illegitimam esse ac prorsus nullam, quia tres non interfuerant Episcopi, quos constitutio postulat *Nicaena*, neque Pontifex permiserat, ut ab illo recederetur vene-

(1) In op: *Justification du droit des Chapitres*.

(2) In op: *Mémoire pour l'Eglise et le Clergé d'Utrecht*.

(3) Sic CODDARUS ipse declarationem ediderat *apologeticam*, et a^o. 1717 ab ERCKELIO defensus erat adversus tres libros, a^o. 1715, a THEODORO COCKIO, editos. Vid. caet. in Append.

(4) DESIRANTIUS, qui SASBOLDUM et ROVENIUM Ordinarios fuisse agnoscit Trajectinos, *Ecclesiam Trajectinam* ante ROVENII mortem esse eversam dicere non potest.

rabili canone. A^o. 1726 et 1727 sex datae sunt *Epistolae*, in harum DAMII dissertationum favorem. A^o. exeunte 1725 in lucem tandem prodiit *Historia*, quam adeo laudaverat *Monitum* anonymum, et cui Capitulum jam opposuerat *Monitum contra monitorem anonymum*. Historiae diu expectatae auctor erat CORNELIUS PAULUS HOYINCK A PAPENDRECHT, canonicus *Mechlensis*, qui suum dedicaverat opus Archiepiscopo *Mechlensi*, Cardinali D'ALSACE, et approbationes acceperat ecclesiasticas ab *Episcopis* etiam *Brugensi*, *Iprensi*, et *Buremundano*.

Tales impetus silentio praetermittere non poterant Trajectini. A^o. jam 1726 ERCKELIUS *Observationes* edidit *prodromas in Hoyinckianam Historiam* (1). ESPENIUS interim, celeberrimus Doctor *Iovanensis*, adversus DAMIUM, *Dissertationem* edidit *de numero Episcoporum*, qua Canonistam secutus *Italicum* PIGNATELLIUM, STEENOVENII consecrationem defenderet ideo, quod numerus trium *Episcoporum* non spectaret characterem sacramentalem consecrationis, sed unice ad ordinem pertineret ecclesiasticum, disciplinamque, a quo igitur vi coacti recedere possent. Premebat dispensationem non solum ad Pontificem pertinere, quandoquidem sine tali dispensatione papali permulti legitimi consecrati fuerant *Episcopi*, lege de trium *Episcoporum* praesentia neglecta. PHILIPPUS LAURENTIUS VERHULST (2) contra eundem DAMIUM, a^o. 1725

(1) Vide illas in: *Def. Eccl. Ultr. per ERCK*, ubi etiam inveniuntur: *Admonitio contra monitorem anonymum*, m. Sept. 1624 ed. — et *epistola Cap. Metrop. ad Ill^mum Dom. JOS. SPINELLIUM* Internuntium, d. 26 m. Jun. 1624, data.

(2) Idem, qui postea sub pseudonymo ZEELANDER, contra VAN

et 1726, quinque dedit *Epistolas*, consecrationem defendentes STEENOVENII.

Ut vero *Hoyinckianam Historiam* prorsus refutarent, Trajectini apologetici inter se dividendum aestimabant laborem. ESPENIUS itaque, Ecclesiam Trajectinam defendit, ratione habita *veteris juris canonici* ⁽¹⁾ VARLETUS, Episcopus *Babyloniensis*, in altera, quam dedit, *apologia*, recentiora inprimis respexit *jura Ecclesiastica*. ERCKELIUS, Capituli metropolitani decanus, in sua *Defensione Ecclesiae Ultrajectinae*, *monumentis* collectis ex *Archivis authenticis* causam Trajectinam propugnavit. NICOLAUS BROEDERSEN, in primo suo *Tractatu historico*, idem fecit quoad *Capitulum*, quod ERCKELIUS fecerat quoad *Ecclesiam*. Quatuor illi Trajectinorum vindices egregie rem suam egerunt, ita ut non tantum causae suae acute et dilucide probaverint justitiam, verum etiam eximiae eruditionis atque indefessi veritatis studii sibi comparaverint documentum praeclarum, quo Ecclesia Tra-

DEN HONERT scripsit *de transsubstantiatione*, et sub pseudonymo VLA-MING, contra D. PIERMAN, de tribus litis quaestionibus Pontificem inter et Trajectinos, in epistolis, quibus 25 annis post, VERHULSTIO mortuo, responsum dedit VAN VILSTEBEN (a^o. 1762).

(1) Propter auxilium, quod semper ESPENIUS Trajectinis praestiterat, a^o. 1728, quoniam sententiam suam hac de re revocare recusaret, a^o. aetatis 83, munere suo in Academia *Lovanensi* privatus, et in exilium abire coactus est. *Amisfurtum* petiit, ubi d. 2 m. Oct. 1728 mortuus est, optime de causa Trajectina meritis, inprimis propter illum, quem adversus HOYINCK dederat librum: *Vindiciae resolutionis Doctorum Lovanensium* (a^o. 1722 in Trajectinorum favorem datae). Praeclarum, quod edidit opus, *Jus universale*, inter optimos Ecclesiae Cath. Canonistas eum habendum esse manifeste probat.

jectina permultos et tunc et deinde nacta est amicos et fautores. Illa igitur pugna litteraria nec in historia conscribenda silentio praetermitti potest, neque in iudicio ferendo aequo de Clero Trajectino.

IV.

Mox post STEENOVENIUM defunctum, de successore cogitabat Capitulum metropolitanum. D. 15 m. Maj. 1725, CORNELIUS JOANNES BARCHMAN WUYTIERS ⁽¹⁾, canonicus Trajectinus, et Sede vacante Vicarius generalis Capituli, electus est. Ille consecrationem sacerdotalem acceperat ab Episcopo *Saniticensi*, qui tunc jam magna de illo exspectanda esse merito aestimaverat. De electione iterum ad Summum Pontificem relatio missa est, atque eodem modo, quo et STEENOVENIUS fecerat, et omnes postea Episcopi, quos sibi, invito Pontifice, elegit Clerus Trajectinus, — additae sunt et confessio pii Papae IV et dispensationis petitio ab illa *Nicaena*, de Episcoporum numero, constitutione. Missionarii non tantum adversus BARCHMANNUM Magistratum excitare conati sunt invidiam ⁽²⁾, verum etiam *Babyloniensem* eo adducere voluerunt, ut reconciliationis cum Pontifice spe allectus, consecrationem Episcopalem recusaret BARCH-

(1) Saepe in veteribus documentis BERCKMAN vel BERCHMAN dicitur.

(2) Multi proceres Catholici Hollandiae et Frisiae Occidentalis contra illum petitionem obtulerunt Praepotentibus Ordinibus. FENELONIUS, Aulae Gallicae hoc tempore *Hagae*comitis legatus, frustra contra BARCHMANNUM incitare conatus est Ordines, qui vero mox *admissionem* accepit civilem. J. H. DE VRIES l. l. p. 43 sqq.

MANNO. VARLETUS vero probe perspexit nullam aliam esse illorum conatum causam, quam Ecclesiam Trajectinam prorsus evertendi, Episcopo haud consecrato, studium; — atque Magistratus ⁽¹⁾ semper benevole BARCHMANNUM tractarunt.

D. 23 m. Aug. BENEDICTUS Papa XIII novam dedit excommunicationem, contra Archi-episcopum electum *Trajectinum*, erroribus non solum, sed injuriis etiam ⁽²⁾, impletam. Excommunicatione illa invita, BARCHMANNUS, d. 30 m. Sept. 1725, consecratus est ab Episcopo *Babyloniensi*, et d. 6 m. Oct. denuo ad Summum Pontificem litteras dedit, promittens sese munere suo desisturum esse, quando ita pax reddi posset Trajectinis. Nihilominus, d. 6 m. Dec., novam Pontifex emisit excommunicationem, prioribus haud multo dissimilem. D. 5 m. Mart. 1726 BARCHMANNUS sese conjunxit cum *appellatione*; a^o. 1719 emissa, ut coram Universa Ecclesia Catholica rem suam ageret, — atque d. 21 m. Mart. diploma edidit, quo suam defenderet agendi rationem.

Inter omnes, qui post CODDAEUM, Archi-episcopi fuerunt Trajectini, nullus tot accepit tantaque adhaesionis et communionis in divinis undique documenta ⁽³⁾. Nonnulla nomine indicare hic sufficiat. Praeter Episcopos *Antissiodorenses*, *Montepessulaneum*, *Bajocensem* et *Sanitiensem*, DILHÈ, in ep. m. Oct. 1725

(1) D. 27 m. Sept. 1726 Episcopus Antissiodorensis BARCHMANNUM congratulatus est de tantis talibusque, quae ab Ordinibus Praepotentibus acceperat, documentis favoris, Missionariis invitis, Vid. *Rec. de div. tém.* p. 258.

(2) DUPAC. p. 339. *Acte d'appel de Barchman*, no. 55.

(3) Vid. testimonia illa collecta in op: *Rec. de div. tém.*

illum certiore fecit 30 fere esse Episcopos Gallicos, causam Trajectinam haud improbant. PETITPIED, FOUQUET, BOURSIER, D'ETEMARE, et multi alii, qui tunc summo in Ecclesia Gallica honore erant, ad BARCHMANNUM epistolas dederunt, adhaesionem testantes. Tenendum vero est, etiamsi minore BARCHMANNUS gavisus fuisset favore, illius causam eandem prorsus esse ac STEENOVENII, ita ut qui STEENOVENIUM agnoscerent canonice electum et consecratum, eodem loco BARCHMANNUM habere deberent. Idem valet de omnibus, qui deinde Episcopi fuerunt a Clero Trajectino electi. Pedetentim rerum politicarum injuriâ, adhaesionis documentorum Trajectinis datorum numerus decrevit; — nihilominus *Ecclesia Trajectina, jure suo*, nostris etiam diebus provocare potest ad illa comprobationis documenta, quae saeculo accepit proxime elapso. Documenta illa summi sunt pretii ad dijucandum, qualis sit *unitas* in Ecclesia Cath., quam Pontificii jactant. Nequaquam parvi ponderis fuerunt quaestiones, de quibus talis sententiarum controversia erat inter *primi ordinis Ecclesiasticos Catholicos*. Pars enim Ecclesiae a Pontifice excommunicatur; — multi Pontifici, multi Ecclesiae excommunicatae applaudunt, — plurimi silent. Ecclesia excommunicata justam suam esse causam probat, — ad summum provocat tribunal ecclesiasticum; — vi tandem et excommunicationibus victoriam externam reportat Pontifex. Plurimi perterriti tacent. Pontifex omnes perfringit Ecclesiae leges, — pauci tantum aperte scelestam damnant agendi rationem papalem. In oculos incurrat necesse est, *immutabilitatem* in Ecclesia Catholica, quam praedicant Catholici, prorsus deesse. Schismatici dicuntur et haeretici a

a Summo Pontifice, qui constitutiones Ecclesiasticas robe tenent! Ne hujusmodi Protestantismo opponatur *unitas!*

V.

Sub BARCHMANNO Episcopo prima conjecta sunt Seminarii *Amisfurtani* fundamenta. Lites enim, quae agebantur de duobus Collegiis *Tovaniensibus* ⁽¹⁾, in adversariorum mox solvendae erant commodum, — atque Clero Trajectino singulari opus erat sacerdotes suos edocendi ratione, propter suam cum Pontifice litem, cujus origo et ansa nullum Clero addictum sacerdotem latec deberet. — Multorum virorum doctorum Catholicorum, ex *Gallia* et *Belgio* profugorum, praesentia et benevolentia effecit ut de Seminario condendo cogitari posset, quum adessent praeceptores egregii, Aulae papalis haud indulgentes nimiae audaciae. Varia certo superanda erant impedimenta, sed consentientibus Magistratibus ⁽²⁾, *Amisfurti* ⁽³⁾ Seminarium

(1) Vid. supra, p. 88.

(2) Antistitibus Protestantibus multi rem proponebant tamquam religioni Reformatae periculosissimam, — atque ita etiam magistratum excitare conati sunt invidiam contra Trajectinos. Clerus vero *memoriam* hac de re confecit et magistratibus obtulit, quae nullum imminere periculum probaret. KEMP. *Kort Hist. Verhael* l. VI, p. 111—137.

(3) Ibi jam aderat collegium *minus*, paedotrophiorum instar, in quibus illo tempore edocebantur adolescentes, haud obscuro loco nati. In illo collegio *minore*, quod nostris adhuc diebus exstat, humaniora docebantur. Illi collegio alterum additum est, *majus*, ubi tales instituti sunt et instituuntur juvenes, qui sacerdotali munere fungi cupiant. Illud collegium *majus* diu *paedotrophium*

conditum est, primis temporibus sub paedotrophii forma. Primi professores fuerunt praecleari LE GROS, DESSARTS, HOFFREUMONT (1).

Multi illo tempore Catholici exteri, propter persecutiones, quae provenerunt ex constitutionis *Unigenitus* et *formulae* ALEXANDRI expostulata subscriptione, ad Ecclesiam Trajectinam profugerunt. Plures sese conjunxerunt in domibus *Rhijnwijck* (prope pagum *Zeist*), et *Klarenburg* (*Ultrajecti*), vel in oppido *Vianen*, ubi scholas etiam condiderunt, ut juvenes *Trajectinos* humaniora docerent, et *Gallicanismi* et *Jansenismi* imbuerent principiis (2). Regulares etiam Ecclesiastici ad BARCHMANNUM confugerunt, inter quos *Carthusiani*, *Parisiis* et *Leucia* profugi, quos Archi-

dicebatur, ne Aetholici offenderentur, deinde vero *Seminarium* appellatum est. Vid. *Ibid.* ubi etiam regulae inveniuntur, quas constituerunt Seminarium Provisores de studiorum et vitae in Seminario in loco.

(1) Vid. etiam de illo Seminario in appendice ad *Orationem Sacram*, quam d. 25 m. Oct. 1822, M. GLASBERGEN habuit, quum Ven. VAN SANTEN jubilaeum celebraret de peracto, per 25 annos, munere sacerdotali. *Amst. Gortmans*, 1822. DESSARTS primus *S. Scripturae* professor fuit, HOFFREUMONT, qui librum scripsit, cui titulus: *Sur l'infalibilité du pape, theologiam* docuit. WILLEMAERS (*Brabantinus*) primus *praesidis* nomen gessit, quia in initio *oeconomus* vel *procurator* collegio etiam majori praecerat. Inter Professores postea multum laudis nacti sunt DILLOIT, BRONS, DESCHAMPS, CASBAUX, LE PLAT, VAN OS, BUYS, al.

(2) In urbe *Vianen* talis schola existit usque ad annum fere 1760; in domo *Rhijnwijck*, ubi BARCHMANNUS diem obiit supremum, et D'ETEMARE primas egit partes, — diutius etiam. In domum *Klarenburg* multi convenerunt, inter quos comes DUPAC DE BELLEGARDE, *Hist. Eccl. Metr. Ultr.* auctor, et MOUTON, ultimus redactor diarii: *Nouvelles Ecclésiastiques*. (Diarium illud inde ab a. 1727 usque ad 1803 Gallicanismi erat focus).

episcopus *Trajectinus* benigne exceptit, atque octonos vel denos conjungere voluit *Goudae*, *Schoonhovia*, vel in alio quodam minore oppido. (1)

Epistolas pastorales, quas BARCHMANNUS dedit, d. 30 m. Dec. 1725, quum munus susciperet Episcopale, et d. 19 m. Ap. 1730, BENEDICTO Papa XIII mortuo, mentis pacificae et pia documenta sunt. Ceteroquin pauca sub illo acciderunt, quae notatu digna hoc loco videantur. (2) Parvae dioeceseos conditio non valde immutata est. Lites Missionarios inter et *Trajectinos* haud defuerunt. BARCHMANNUS, d. 13 m. Maj. 1733 mortuus est. Ex animo illum lugebant Clerus et illi, quos plurimos habebat, amici exteri (3). Iterum, quod ad homines, ex uno tantum Episcopo *Babyloniensi* Ecclesiae *Trajectinae*, Ordinario orbatae, pendebat perduratio.

VI.

Capitulum metropolitanum, d. 22 m. Jul. 1733 THEODORUM VAN DER KROON, canonicum, pastorem *Goudanum*, elegit Archi-episcopum. D. 26 m. Aug.

(1) Episcopus *Montepessulaneus* illi gratias egit de cura, quam de illis gesserat profugis. *Rec. de div. tén.*, p. 221.

(2) Illo tempore AGATHAE STOUTHANDEL, *Amstelodami*, a. 1727, accidit sanatio, quam Clerus *Trajectinus* tamquam miraculum colit, divinitus patratum ut de Archi-episcopi BARCHMANNI legitima constaret electione et consecratione. Eodem modo illae, quae in tumultu acciderunt diaconi *Parisiensis* PARIDIS, sanationes, a. 1731, — a Jansenistis miracula habentur, quibus divinitus testimonium datum sit de Appellantium causae justitia. Vid. BUYS, *Noodige Bijlagen*, DUPAC, p. 344, al.

(3) Vid. de illo: *Nouvelles Ecclésiastiques*, d. 12 m. Jun. 1733.

et Kal. Sept. more solito relatio et confirmationis petitio *Roman* missa est. Longa interim fuit mora, antequam ad consecrationem Episcopalem transiret VARLETUS. Illis enim temporibus his erat de usura, utrum nempe liceret ita de rebus statuere, ut ille qui alicui pecuniam commodaverat suo nutu, quocumque posset tempore reflagitare illam pecuniam. Illud licere statuebant *Trajectini*. Qui in *Gallia Jansenistae* dicebantur, statuebant ita tantum posse pecuniam commodari ut perpetui essent redditus, vel ita ut is, qui argentum mutuum rogavisset, diem indicaret quo redderet pecuniam ⁽¹⁾. Diu jam inter *Jansenistas*, qui quoad mores multo Missionariis erant severiores, illa quaestio tractata fuerat. NEERCASSELIIUS sententiam secutus fuerat *Jansenistarum* in *Gallia*. VARLETUS valde illam propugnavit sententiam *Gallicam*, ita ut etiam videretur sese alienaturum esse a *Trajectinis*. Tandem vero ita liti finis est impositus, quod VARLETUS formulam confecit *Gallicae* faventem sententiae, cui subscriberet novus Archi-episcopus *Trajectinus*. Quaestio illa certe effecit ut multi divites ad Missionarios transirent, quorum doctrina tales non tangebatur res, — sed aperte etiam probat nec VARLETUM, nec *Trajectinos* levitatis fuisse reos.

Quum lites illae consopitae essent, ac de *Babyloniensis* jam constaret auxilio, d. 24 m. Jul. 1734, VAN DER CROON iterum frustra ad Pontificem litteras

(1) In Archivis Trajectinis permulta haec de re exstant documenta. Cons. inprimis BROEDERSEN: *De rebus utrinque redimibilibus*, qui Trajectinam propugnavit sententiam, et LE GROS: *Dogma Ecclesiae circa usuram*, qui oppositam defendit doctrinam.

dedit. Adversarii interim omnia moliebantur ut VARLETUM ab auxilio ferendo *Trajectinis* detraherent. Legatus Gallicus DE FÉNÉLON, *Hagaecomitis* degens, *Babyloniensi* in colloquio, ex auctoritate Cardinalis DE FLEURY, magna promisit beneficia, dummodo in *Galliam* rediret. Quum talia recusaret VARLETUS, ACUGNA, legatus *Hagaecomitis Lusitanus*, in legatum DE FÉNÉLON invectus est, qui talem VARLETUM vi auferendi neglexisset opportunitatem (¹).

D. 28 m. Oct. 1734 VAN DER CROON eodem quo antecessores modo, consecratus est ab Episcopo *Babyloniensi*, — et relationem hac de re *Romam* missam, d. 17 m. Febr. 1735, more jam solito, excommunicatio excepit papalis. Archi-episcopus sese cum *appellatione* conjunxit, aº. 1719 data (²). Pacificus et mitis brevi munere Episcopali functus est. Ex illius Archi-episcopatu unice notanda videtur pugna litteraria, quam habuit cum Cardinali D'ALSACE, Archi-episcopo *Mechlensi* (³) de causae *Trajectinae* justitia, imprimis de electionum et consecrationum Episcopalium validitate. D. 9 m. Jun. 1739, VAN DER CROON diem obiit supremum, dioecesi *Trajectina* eodem relicta statu, quo inde ab aº. 1724 fuerat.

VII.

Capitulum metropolitanum PETRUM JOANNEM MEYN-
DAERTSIUM, archi-presbyterum *Leovardensem*, aº. 1739

(¹) DE PAC, p. 349.

(²) Kal. Dec. 1735 Archi-episcopo *Mechlensi* communicavit illam appellationem, quod deinde ansam dedit pugnae litterariae.

(³) Omnia scripta quae in haec lite ab Ultraj. parte edita sunt, collecta inveniuntur in op: *Acta quaedam Ecclesiae Ultr.*, aº. 1737.

Archi-episcopum elegit. D. 18 m. Oct. VARLETUS eum consecravit. More solito ratio missa est ad CLEMENTEM Papam XII. Kal. jam Dec. MEYNDARTSIUS *epistolam* dedit *pastoralem*, placabilitatis documentum. Pontifex illum eodem, quo antecessores, modo tractavit. D. 6 m. Oct. 1739 CLEMENS contra illum excommunicationem emisit, quae verum Clero, post Pontificis demum mortem, innotuit. D. 24 m. Jan. 1741, BENEDICTUS Papa XIV similem emisit excommunicationem contra Archi-episcopum, qui Kal. Jul. 1741 sese cum *appellatione* ad concilium futurum generale, a^o. 1719 data, conjunxit. MEYNDARTSIUS Archi-episcopus multo plura quam illi, qui ante et post eum fuerunt, contulit ad Ecclesiam Trajectinam defendendam et stabiliendam.

Inter illa, quae Archi-episcopus perfecit, imprimis in sensum venit quod Episcopum *Harlemensem* et elegerit et consecraverit ⁽¹⁾. D. jam 24 m. Sept. 1726 Capitulum *Trajectinum* rem peragenda esse decreverat, hucusque vero multa prohibuerant ne executioni mandaretur consilium Episcopum constituendi *Harlemensem*. Capitulum metropolitanum jam inde ab a^o. 1717 curam gesserat de ordine hierarchico in dioecesi *Harlemensi*, ⁽²⁾ et *jure devolutionis* nunc prohibuit, ne sedes *Harlemensis* diutius vacaret. Nisi enim Episcopus eligeretur *Harlemensis*, ex unius Archi-episcopi, post VARLETI

(1) Agendi rationis Capituli metropolitani hac in re apologiae videantur in op: *Recueil de div. tén.*, p. VI, ubi *Consultationes* inveniuntur, quas dederunt viri docti. Consul. imprimis *prior et altera casus positio*, quas dederunt ESPENIUS (a^o. 1727) et GIBERT, (a^o. 1730), etiam insertae op: *Causa Eccl. Harl.*

(2) Vid. supra, p. 87.

mortem, vita, perduratio penderet Ecclesiae Trajectinae. Ne igitur mortuo Archi-episcopo potestas etiam deesset alium consecrandi Episcopum, plures in archi-diocesi *Trajectina* adesse debebant Episcopi. De Episcopo igitur eligendo *Harlemensi* cogitaverat Capitulum metropolitanum, ne Ecclesia Trajectina ipsa everteretur. Eadem argumenta, quae Archi-episcopum *Trajectinum* eligendum esse monuerant, de Sede valebant etiam *Harlemensi*. Propterea jam a^o. 1726 nob. VAN REEDE VAN RENSWOUDE ad canonicum RUTH D'ANS scripsit, praeter *Ultrajectinum* alios a Capitulo metropolitano eligendos esse Episcopos (1). BARCHMANNUS igitur summam jam huic rei dederat operam. D. 16 m. Jun. 1727, THEOD. DONKER, pastor *Amstelodamensis*, archi-presbyter *Amstellandiae*, ad sedem *Harlemensem* electus erat (2), qui vero *admissionem* civilem a parte Magistratum accipere non poterat (3), et postquam frustra ipse cum nonnullis pastoribus Archi-episcopum consecrationem rogaverat Episcopalem, d. 15 m. Jul. 1731, consecratione haud perpetrata, diem supremum obiit (4). VAN DER CROON frustra rei operam dederat (5) D. 14 m. Maj. 1741, Episcopus *Babyloniensis*, qui optime de Clero meruerat

(1) *Rec. de div. tén.*

(2) *Causa Eccl. Harl. App. mon. 19.*

(3) Frustra DONKER *admissionem* rogavit. Uti videtur, timebant Magistratus ne pluribus admissis Episcopis nimis auferent Catholicorum auctoritatem, vel ne ita comprobantes electionem, jura nimis agnoscerent Capitularia et Episcopalia. J. H. DE VRIES l. l. p. 56.

(4) *Causa Eccl. Harl. App. mon. 20 et 21*, ubi epistolae inveniuntur, quam ad Archi-episcopum TH. DONKER dedit d. 10 m. Dec. 1727, et quam presbyteri conscripserunt, d. 2 m. Jan. 1728.

(5) DUPAC, p. 366.

Trajectino, mortuus est. MEYENDAERTSIUS propterea rem non amplius esse differendam rite perspexit. D. 26 m. Jun. Capitulum metropolitanum ad electionem transiit. HIERONYMUS DE BOCK, pastor *Amstelodamensis*, Episcopus *Harlemensis* electus est. Kal Sept. eodem anno Summus Pontifex excommunicatione respondendum esse duxit ad illam, quam acceperat relationem. D. vero 2 m. Sept. 1742 HIERONYMUS consecratus est ab Archi-episcopo. (1)

Fuerunt illo tempore adhuc 70 fere pastores Clero Trajectino addicti; procul dubio illi summo affecti sunt gaudio, quum ita majorem quam antea alere possent spem de ordine servando hierarchico in Ecclesia Trajectina.

CAPUT II.

1742—1758.

USQUE AD EPISCOPUM ELECTUM DAVENTRIENSEM.

I.

Episcopus *Harlemensis* electus erat, non tantum Sede invita Apostolica, uti excommunicatio, d. 20 m. Dec. 1742 a Pontifice emissa, indicabat, —

(1) Uti semper in Ecclesia Rom.-Cath., sic etiam inter Trajectinos, si quis consecratur Episcopus, duobus non adsistentibus Episcopis, duo secundi ordinis Ecclesiastici illorum adsistentium excipiunt vices.

verum etiam invito Capitulo *Harlemensi*, quod jam inde ab a^o. 1705 ab omni destitit jurisdictione, et aegre tulit talem Capituli metropolitani *juris devoluti* usum. Certe vero illa, quam d. 21 m. Jun. 1743, Capitulum *Harlemense*, contra Episcopum *Harlemensem* DE BOCK dedit, *protestatio, jure suo* Capitulum metropolitanum ita egisse aperte probat. Capitulum *Harlemense* enim suam vindicabat existentiam, propterea vero etiam fungi debebat officiis, quae praescribebant Ecclesiae leges; — illis vero neglectis officiis, ex lege ad Capitulum metropolitanum jurisdictio devoluta est de Ecclesia *Harlemensi*. Capitulum *Harlemense*, suam defendens existentiam, negare haud poterat illam, quam ante a^o. 1705, una cum *Trajectino* praestiterat, oppositionem adversus Sedis Apostolicae injustitias. Quando vero de existentia constaret Ecclesiae tam *Harlemensis*, quam *Trajectinae*, injuste Capitulum *Harlemense* agendi rationi restitit Capituli metropolitani, quod aliam non iniit agendi rationem, quam saltem inde ab a^o. 1702 fecerat.

Capitulum metropolitanum, electo IHERONYMO DE BOCK, ostendit sese rite juribus uti ecclesiasticis, et quamvis a Pontifice impium denuntiaretur et schismaticum, *jure suo* haud dubitare illos seditionis accusare, quos probe poenitentes aestimaret Sedes papalis. Temporum conditio prorsus necessariam reddidit electionem Episcopi *Harlemensis*; ita ut plures essent qui illis jam diebus monerent, ita non satis perdurationi provisum esse hierarchiae. Magistratus haud improbabant consecrationem Episcopi *Harlemensis*; — non tantum nullum contra illum fecerunt decretum, sed etiam, Kal. Nov. 1742, Consilarii Commissi Hollan-

diae et Frisiae Occidentalis *admissionem* illi dederunt civilem. (1)

II.

M. Jul 1744 Archi-episcopus et Episcopus *Harlemensis*, antecessorum secuti morem, ad concilium appellarunt futurum generale, breviter simul Ecclesiae *Harlemensis* enarrantes historiam, et excommunicationum papalium, praesertim inde ab a^o. 1725, indicantes injustitiam (2).

Excommunicatio vero, quam d. 20 m. Dec. 1742 pronuntiaverat Pontifex, de *doctrina* prava et erronea nullam fecerat mentionem. Quo magis enim lites de Jansenismo in *Gallia* decrescerent, eo magis etiam in Ecclesiae Trajectinae causa, quaestio de *doctrina* et de *constitutionibus papalibus* locum cessit liti de *Ecclesiae existentia* et *juribus*. Constanter quidem Trajectini subscriptionem recusabant *formulae ALEXANDRI* et constitutionis *Unigenitus*, pedentim vero magis *schismatis* esse quam *haereseos* reum Pontifex ducere coepit Clerum Trajectinum. Utique in illis, qui deinde etiam subsecuti sunt, reconciliationis conatibus, Pontifex subscriptionem *formulae* et *constitutionis*, uti antea, postulavit; illud vero potius fecit ut *Trajectini* palam patrum damnarent agendi rationem, coecam praestantes obedientiam, quam ut suas de doctrina ecclesiastica immutarent sententias.

Quales fuerint Cleri Trajectini sententiae et de

(1) Vid. J. H. DE VRIES. I. I. p. 57 sqq.

(2) DUPAC, p. 367.

fide, et de *doctrina morali* et de *jure canonico*, sub MEYNDARTSIO inprimis Archi-episcopo patuit. Sententiae illae prorsus eadem fuerunt, quas jam per totum saltem saeculum proxime elapso foverat. In septem inprimis prioribus saeculi praecedentis decenniis, tot adhuc tantique superstites fuerunt inter Trajectinos, ab exteris profugi Ecclesiis viri docti ⁽¹⁾ *Jansenismi*, uti dicunt, et *Gallicanismi* fautores, ut constans non esse in suis sententiis, Clerus Trajectinus non potuerit. Si igitur pedetentim Pontifex *haereseos* imminuerit accusationem, ex immutata Cleri Trajectini *doctrina* explicari illud non potest. Inter illos, qui ad Trajectinos transierunt, plures erant doctores *Lovanenses* praeclari, quorum alii, uti COLETTE, PORINGO, BESSEMERS, DOSOGNE, caet. pastorum, alii, uti DUROI, WILLEMAERS, VERHUIST, professorum in Seminario *Amisfurtano* functi sunt munere. Ex dioecesibus *Mechlensi*, *Antverpiensi*, *Gandavensi*, *Tunegurensi*, aliis, Clerus Trajectinus egregios accepit socios. Quamvis igitur in caeteris orbis Catholici partibus *Gallicanismi* et *Jansenismi* decrecerent pedetentim vires, non ita in Ecclesia Trajectina.

Nulla tempore magis aperte quam sub Archi-episcopo MEYNDARTSIO Clerus Trajectinus suas enuntiavit sententias de iis, quae id temporis in Ecclesia Catholica agebantur, litibus. Ad illius igitur inprimis attendamus oportet aetatem ad bene dijudicandam doctrinam Ecclesiae Trajectinae, quaestionemque dirimen-

(1) In op: *Rec. de div. t m.* index invenitur eorum, qui patria sua relicta, ad Trajectinos transierint, atque Trajectinorum patroni exstiterint vel socii.

dam utrum merito adversus Trajectinos Pontifices schismatismi et haereseos moverint suspicionem.

NICOLAUS BROEDERSEN, Canonicus Trajectinus, d. 16 m. Febr. 1741, ad BENEDICTUM Papam XIV epistolam conscripserat, ut sese et socios suos, adversus sparsos defenderet rumores contumeliosos. M. Maj. et Sept. 1744 Capitulum metropolitanum novas dedit litteras apologeticas ad Pontificem et Emin. Cardinales. Cum illa, quam m. Sept. Romam miserunt, epistola, conjuncta erat *expositio doctrinae*, ut sese haud recedere a doctrina ecclesiastica Catholica probaret Clerus.

Expositio illa doctrinae (1) BOSSUETI subscribit sententiae de *auctoritate ac potestate Pontificis et Sedis Apostolicae* (2), Pontificis auctoritate Ecclesiae Catholicae potestati postposita (3). Quod ad doctrinam de *gratia*, quinque illi adoptantur articuli, quos theologi Gallici a^o. 1663 confecerant. Articuli illi huc redeunt: 1^o. Is cui deest gratia per se efficax, non habet omnia quae requiruntur ad actu agendum, 2^o. Gratia interior duplex est; alia efficax, quae semper producit illum effectum, ad quem impellit voluntatem; alia inefficax, quae voluntatem excitat ad effectum, quem non producit. 3^o. Ad merendum et

(1) Vid. in op: *Acta et decreta Synodi*, a^o. 1763.

(2) In op: BOSSUETI: *Exposition de la doctrine*. INNOCENTIUS Papa XI admodum illum laudavit librum, in ep. ad BOSSUETUM d. 4 m. Jun. 1679, data.

(3) Vid. infra ad a^o. 1763. Synodus etiam provincialis Trajectina eandem secuta est sententias.

(4) Articuli illi, Thomistarum ac Augustinianorum exhibentes sententias, a^o. 1663 ALEXANDRO Papae VII oblatis sunt, a^o. 1689 ALEXANDRO Papae VIII, et a^o. 1692 INNOCENTIO Papae XII. Quamvis certe Jesuitis admodum displicerent, articuli illi nunquam

demerendum in statu naturae lapsae, non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a necessitate. 4^o. cuicumque gratiae, efficaci etiam, resisti potest, licet numquam actu efficaci gratiae dissentiat; 5^o. gratuita praedestinationis doctrina maximam jure merito apud omnes scholas catholicas auctoritatem obtinet.

Praeterea *expositio doctrinae* articulos theologicos adoptat, quos, a^o. 1677, Facultas theologica Universitatis *Lovaniensis*, INNOCENTIO Papae XI dijudicandos obtulit, per legatos suos FRANCISCUM VAN VIANEN, CHRISTIANUM LUPJUM et MARTINUM STEYARTIUM. Articuli illi de *ignorantia*, de *virtutibus theologis*, de *juramento*, de *mendacio*, de *contritione*, de *confessione*, al., sententias enuntiabant Jesuitismo oppositas. (1) Praeter illos duodecim articuli adoptati sunt, quos Cardinalis NOALLIUS ad BENEDICTUM Papam XIII miserat de *fide*, de *lege Mosaica*, de *absoluta Dei voluntate*, caet. Illi NOALLII articuli adeo Pontifici placuerunt, ut de positiva etiam cogitaret comprobatione.

tamen damnati sunt a Sede Apostolica. — ALEXANDER Papa VII etiam in brevi suo, d. 29 m. Jul. 1663, ad Episcopos Gallicos dixit, se magno cum gaudio ex illis animadvertisse articulis, Gallicas multo meliores, quam rueret fama, esse sententias. *Palam* quidem numquam comprobati sunt articuli a Pontifice, — *implicite* vero procul dubio. D. enim 19 m. Mart. 1662, Congregatio S^{ti} Officii librum prohibuit contra illos articulos conscriptum, sub titulo: *Fraus articulorum demonstrata*, per CORN. A CRANEBERG. STEYARTUS, acerrimus Jansenismi adversarius, articulos illos recepit et probavit in suis adversus JANSENIUM libris.

(1) Nulla ex hisce thesibus a Pontifice damnata est, quum e contra 65 Molinistici adversariorum articuli denuntiarentur et damnarentur.

Caute igitur Clerus Trajectinus hacce *expositione* verbis usus, quae ex talibus hauserat Catholicis, quos heterodoxos appellare nec posset nec vellet Sedes Apostolica, — probavit sese eandem, quam omnes probi Catholici, propugnare doctrinam. Capitulum metropolitanum Pontificem humiliter rogavit, ut sententiae accuratius enuntiandae concederetur venia, si forte talis *expositio doctrinae* non satis haberetur ad vindicandam suam orthodoxiam.

BENEDICTUS Papa XIV, de *expositione*, uti in Ecclesiastico ex Ordine Dominicanorum facile explicatur, nequaquam male sentiisse videtur (1). Nihilominus Pontifex Ecclesiam Trajectinam excommunicare haud desiit.

III.

HIERONYMUS DE BOCK, Episcopus *Harlemensis*, brevi postquam sese cum *appellatione* a^o. 1719 emissa conjunxit, diem obiit supremum. D. 5 m. Maj. 1745 JOANNES VAN STIPHOUT illius successor electus est. MEYENDAERTSIUS, d. 11 m. Jul. Episcopum *Harlemensem* consecravit, quem Consilarii Commissi Hollandiae et Frisiae Occidentalis, d. 12 m. Aug. *admissione* muni-verunt civili. (2) Tam contra electionem, quam consecrationem JOANNIS VAN STIPHOUT Pontifex ex-communicationes emisit, haud multum a prioribus discrepantes, d. 26 m. Jun. et d. 28 m. Aug. 1745, more solito sparsis tantum rumoribus Clero cognitatis

(1) Vid. DUPAC, p. 369.

(2) J. H. DE VRIES. l. l. p. 64.

Trajectino. Extra patriam nostram decrescere jam coepit numerus eorum, qui consentire sese cum *Trajectinis* palam profiterentur, — quod facile inde etiam explicari potest, quod Ecclesia Trajectina non amplius, uti antea, auxilio egeret Episcoporum extraneorum, Ordinis hierarchici causa. Uti saepe fit, torpor quodammodo animi exceperit fervorem in Ecclesia inprimis *Gallica*. Episcopi quidem *Sanitiensis* et *Montepessulaneus* ad Archi-episcopum THEOD. VAN DER CROON suas dederunt communionis in divinis litteras; — MEYENDAERTSIUS procul dubio et VAN STIPHOUT similes acceperunt litteras ab Episcopis *Sanitiensi*, *Antissiodorensi*, et *Lucionensi* (1), — verumtamen non eodem, quo duobus decenniis ante, modo palam *Gallici* causam defendebant *Trajectinam*. Nihilominus communiōe cum Sede Apostolica *mediata* frui haud desiit Clerus Trajectinus.

Neque vero defuerunt reconciliationis conatus, quorum tres sub Archi-episcopo MEYENDAERTSIO, quamvis irriti cesserint, notatu digni sunt.

In priore conatu ANTONIUS HOCHKIRCHEN, *Aquisgranensis*, ex ordine P. P. Augustinianorum primas egit partes. Per aliquod temporis spatium *Hagaecomitis* ille degerat, apud pacificum causae *Trajectinae* addictum laicum, et multa praedicaverat de magno quo gauderet honore et apud Nuntium Apostolicum *Coloniensem* SPINOLAM, et apud Cardinalem VALENTIUM, BENEDICTI graphiarium. HOCHKIRCHEN, sui ipsius non oblitus emolumenti, *clavem* sibi rogavit *aurcam*. Primo consilium dedit ut *Trajectini*, morem

(1) Vid. epistolae illae in op: *Rec. de div. tēm.*

secuti *Augustinianorum* et *Thomistarum*, constitutionibus subscriberent papalibus ad placandos *Jesuitas*, nihilominus vero haud desisterent illi, quam constitutiones damnarent, adhaerere doctrinae. Talia autem *Trajectinis* non displicere non poterant. Tunc НОСН-КІРЧЕН coram Pontifice rem ita informavit acsi *Trajectini*, priorem improbantem vehementem agendi rationem, omnia accipere vellent decreta papalia canonice constituta, atque a^o. 1719 ad Pontificem melius consultum, nequaquam ad Concilium appellassent futurum generale. Capitulum metropolitanum Ven. МЕГАНСК et АСКООІ elegit, qui cum НОСН-КІРЧЕНІО agerent. Mox tamen dolos illi intercessioni subesse animadvertentur; quum vero *Augustinianus* perspiceret suam improbare agendi rationem *Trajectinos*, epistolis suis, d. 30 m. Dec. 1745, d. 28 m. Jan., d. 18 m. Febr., et d. 9 et 19 m. Mart. 1746 illos, quos antea amicos appellaverat, schismaticos nominavit, multo majoribus quam caeteri schismatici et haeretici, contumeliis afficientes Summum Pontificem. (1)

Neque feliciorē habuit eventum reconciliationis conatus, cui PETRUS NORBERTUS, *Capucinus*, operam dedit a^o. 1747. BROEDERSEN, Capituli metropolitani decanus, per illum litteras dederat apologeticas ad Cardinalem CORTINIUM, *Capucinorum* patronum. NORBERTUS documentis illis Cleri integritatem egregie defendi existimabat, et d. 11 m. Mart. 1747 ad Ven. BROEDERSEN scripsit, BENEDICTUM Pontificem suam probare *confessionem*, cui unice deesset coeca obedientia erga constitutiones papales, quas omnes jam

(1) БУРАС, p. 374.

acceperant probi Catholici (1). NORBERTUS Pontificem commonuit de decreto publico, quod prohibebat ne Constitutio *Unigenitus* reciperetur, ita ut fidei confessio quaedam generalis sufficeret. Kal. Aug. 1747, Archi-episcopus cum Episcopo *Harlemensi* et sex canonicis *Trajectinis*, formulac subscripserunt, qua illud tantum premebatur impedimentum publicum. Alii vero multi ex Clero *Trajectino* illam subscriptionem aegre tulerunt, veriti ne sic defensio publica unicum videretur impedimentum, ne Constitutio *Unigenitus* reciperetur. Hanc ob causam, d. 12 m. Sept, uterque Episcopus, et omnes Canonici declarationi subscripserunt, sese nunquam eo adductum iri ut subscriberent vel *formulae ALEXANDRI*, vel Constitutioni *Unigenitus*. Declaratio illa, Clero invito, Pontifici innotuit, atque d. 23 m. Mart. 1748, a Cardinali CORSINIO ad NORBERTUM missa est, tamquam fraudis *Trajectinorum* documentum. Sic omni caruit successu talis, nimio reconciliationis studio ducta, consideratio. (2)

In tertio intercessu primas egit partes Marchio ANTONIUS NICOLINIUS, cui Cardinalis VALENTIUS curam commiserat, in patria nostra ipsa, rem inquirendi, quum NORBERTUS de pace restituenda ageret. NICOLINIUS hic degens utramque audiebat partem, — et m. Aug. 1748 ad Cardinalem VALENTIUM relationem dedit (3),

(1) Tam Missionarii in patria nostra, quam *Trajectini*, petitiones Ordinibus Generalibus obtulerunt, ut deputati elegerent ad pacem restituendam. Archi-episcopus et Episcopus *Harlemensis* deputationum nomina Ordinibus obtulerunt, atque d. 14 m. Sept. 1747, Principem *Arausiacum*, GUILIELMUM IV, admissionem rogarunt ad colloquium. Vid. J. H. DE VRIES. I. I. p. 70, 71.

(2) DUPAC, p. 379.

(3) *Nouvelles Ecclésiastiques*, 6 Mars. 1771.

in qua religionis Rom.-Catholicae in Provinciis Foederatis laudavit conditionem, et NEERCASSELII memoriae summas tribuit laudes; alte vero conqueritur de *Cleri conjuncti* (i. e. *Missionariorum*) adversus *Clerum separatum* (i. e. *Trajectinos*), acerbitate. NICOLINIUS ne dubitavit quidem de validitate electionum et consecrationum Episcopaliū; Episcoporum laudavit placabilitatem, atque consilium dedit ut unice postularetur obsequium generale erga Ecclesiae Rom.-Catholicae decreta, ita ut implicite *formula* etiam ALEXANDRI et Constitutio *Unigenitus* intelligi possent. Non opus est ut hoc loco inquiramus an talem praestituri fuissent *Trajectini* obedientiam, qua implicite certe causam suam dampnassent, — quoniam, d. 9 m. Febr. 1760, ipse NICOLINIUS scripsit, de pace restituenda ne cogitandum quidem esse, quamdiu exstarent Jesuitae, acerrimi Ecclesiae *Trajectinae* hostes. Etsi igitur Cardinales etiam TAMBURINIUS et SPINELLIUS ad reconciliationem essent propensi, omnes irriti cesserunt conatus.

IV.

Quo magis Clerus Trajectinus animadverteret, invito Pontifice, continuo curam gerendam esse ne ordo everteretur hierarchicus, eo magis opus erat ut successioni provideretur Episcopali. Hanc ob causam a^o. jam 1726, quum *Casus positio* ederetur, de Ecclesiae Trajectinae statu, Capitulum metropolitanum theologorum rogaverat et jurisconsultorum sententiam, num de Episcopo *Leovardensi* eligendo a Capitulo, eodem modo esset judicandum, quo de Episcopis *Trajectino* et *Harlemensi*. De Sede *Leovardensi* prae caeteris cogitarunt *Trajectini*, quia in dioecesi *Leovardensi* pa-

rochia adhuc exstabat, Capitulo metropolitano addicta. (1) Quum igitur Episcopus electus esset *Harlemensis*, de altero etiam constituendo Episcopo suffraganeo curam gessit MEYNDARTSIUS. Duplex vero tam inter *Trajectinos*, quam inter exteros Capituli metropolitani fautores, sententia de ratione, qua optime prohiberi posset ne pedetentim ordo interiret hierarchicus in archi-dioecesi *Trajectina*. Alii enim tertium eligendum esse aestimabant Episcopum, alii tantum Archi-episcopo Coadjutorem adjungendum, cum jure successionis. Plerique vero priorem ineundam esse ducebant viam. Ita faciendum esse statuebant DE CAYLUS, Episcopus *Antissiodorensis*, DE LAU, BESOIGNE, LA CHASSAIGNE, CATHERINET, Doct. *Sorbonae*, et 43 jurisconsulti, summo regni *Gallici* senatui adscripti al. (2). Omnes hac in re hocce imprimis premebant juris principium, quod tertii Episcopi electio prorsus necessaria esset ad perpetuandum ordinem Episcopalem, atque certo ad Sedis Metropolitanae pertineret jura. Ad Episcopum igitur eligendum *Leovardensem* progrediendum statuit MEYNDARTSIUS.

Ordines vero *Frisiae* rem aegre tulerunt, et Clerus, ne Magistratus offenderet, de *Daventriensi*, *Leovardensis* loco, cogitabat. Nulla quidem in dioecesi *Daventriensi* supererat Capitulo metropolitano addicta parochia, — verumtamen Episcopus *Daventriensis*, Episcopus non foret *in partibus*, (3) quia Catholici

(1) Parochia illa usque ad primos hujus saeculi annos exstitit.

(2) Vid. *Rec. de div. tēm.* p. VII.

(3) Episcopi *in partibus (infidelium)*, illi sunt Episcopi, qui titulum gerunt dioeceseos, in qua tales tantum incolae sunt, quales *infideles* appellat Ecclesia Rom.-Catholica. Episcopi *in partibus* ab uno Summo Pontifice constituuntur. Vid. DUYS: *Noodige Bijlagen*. II.

Daventrienses a Capitulo metropolitano *fideles*, etsi *sediciosi*, pastorum rebellium fraude decepti, non haberi non poterant.

Mense igitur Sept. 1757, ad electionem transiit Archi-episcopus, cum Episcopo Suffraganeo *Harlemensi* et Capitulo metropolitano. Communi consensu BARTHOLOMEUS JOANNES BIJEVELD (*s.* BIJLEVELD), canonicus *Trajectinus*, pastor *Roterodamensis*, archipresbyter *Schielandiae* electus est. *Relatio* de electione ad BENEDICTUM Papam XIV data est, qui, d. 29 m. Dec., nova excommunicatione, damnavit electionem, et prohibuit consecrationem. Excommunicatione illa nonnullis demum mensibus post Clero innotuit. BIJEVELDUS, d. 25 m. Jan. 1758, ab Archi-episcopo consecratus, mox *admissionem* accepit *civilem* (1).

Illa secundi Episcopi Suffraganei electio summi fuit pretii ad feliciter propugnandam Ecclesiae Trajectinae causam, — quoniam abhinc sperari posset, fore ut sine Ecclesiarum extoriarum auxilio, provideretur iis, quae Ecclesia postulat Rom.-Catholica rite comparata. Majore igitur quam antea fiducia, Patrum vindicare haereditatem *Trajectini* potuerunt. Fuerunt quidem, qui alios etiam eligendos esse monerent Episcopos suffraganeos (2), quod vero nec Capitulo metropolitano nec Archi-episcopo visum est. — Electione igitur Episcopi *Daventriensis*, Ecclesia Trajectina illam induit formam, quam nostris adhuc habet diebus.

(1) J. H. DE VRIES. I. I. p. 82.

(2) *Examen des nouvelles considérations, qui proposent à nos prélats un motif pressant de remplir un plus grand nombre de sièges Episcopaux.*

PERIODUS TERTIA.

1758—1859.

INDE AB EPISCOPO CONSECRATO DAVENTRIENSI
USQUE AD HOSCE DIES.



CAPUT I.

1758—1796.

USQUE AD PUBLICAM SACRORUM CONSTITUTIONEM
ABOLITAM IN PROVINCIIS FOEDERATIS.

I.

MEYENDAERTSIUS, minus quam antea supplex, *relationem* de Episcopi *Daventriensis* consecratione *Romam* misit. Palam Archi-episcopus Jesuitas proponit tamquam Universae Ecclesiae Rom.-Catholicae, Summi Pontificis, Cleri etiam Trajectini acerrimos hostes, — et miserrimae Trajectinorum conditionis causam. BENEDICTUM Pontificem propterea rogat, ut illis invitis Jesuitis, pax concederetur Ecclesiae oppressae. Ex illa fortasse explicandum est epistola, quod contra BYVELDI consecrationem novam haud emiseric Pontifex, vel publicaverit saltem excommunicationem.

Ut vero authenticis probaret Ecclesia Trajectina documentis, illas quas Pontifices emiseraut excommunicationes, nequaquam ab universo comprobati orbe Catholico, neque igitur Ecclesiam Rom.-Catholicam communionem in divinis *Trajectinis* abnegasse, omnia edenda aestimavit MEYNDARTIUS documenta ac testimonia, quae *Trajectini* acceperant Summo Pontifice invito. Collectae igitur sunt *consultationes*, quibus celeberrimi theologi et jurisconsulti Catholici *Trajectinorum* agendi rationem comprobaverant, vel ad illam incitaverant; conjunctae etiam litterae, quibus per plures Catholici *Trajectinis*, a Pontifice excommunicatis, adhaesionem suam significaverant et communionem in divinis. Catholicorum igitur ex omnibus terrae partibus, Ecclesiasticorum *primi et secundi ordinis*, Academicarum, Doctorum, praestantium laicorum voces et testimonia opponenda erant excommunicationibus Pontificum. Historica in lucem emittenda erat Catholicitatis Ecclesiae Trajectinae apologia, — quae simul vero, Clero Trajectino procul dubio invito, universo orbi indicaret quam parum adsit in Ecclesia Rom.-Catholica *unitas*, quam Pontificii Ecclesiae suae decus appellant ac veritatis documentum. Felici cum eventu rem perfecit MEYNDARTIUS. Comes DUPAC DE BELLEGARDE *praefationem* ⁽¹⁾ conscripsit *historicam*, ad ostendendum injuste Pontificem Eccle-

(1) Praefatio illa a^o. 1785, in sermonem Italicum versa est, — aequae ac libellus: *Mémoire de quelques jurisconsultes Hollandais sur les maximes de la cour de Rome, mises en usage pour opprimer l'ancien Clergé et les Evêques Catholiques-Romains de l'Eglise d'Utrecht*. Uterque libellus multorum deinde Ecclesiasticorum Italicorum benevolentiam comparavit Clero Trajectino.

siam Trajectinam tractasse, — et opus ipsum a. 1763 in lucem prodiit ⁽¹⁾. Capitulum metropolitanum ad Summum Ponticem, ad Cardinales, praecipuos Episcopos, Principes, Universitates, Theologos, et Jurisconsultos suam misit apologiam, et multorum adhaesionem ita sibi comparavit.

MEYNDAERTSIUS probe animadvertit ampliore nunc etiam Clero Trajectino opus esse apologia, quod ad fides et mores. *Expositio doctrinae* ⁽²⁾, non amplius sufficiebat. Ecclesia Trajectina Catholicitatem suam strenue defendebat, — propterea etiam palam erat probandum, sese doctrinae ecclesiasticae Catholicae prorsus esse addictam, nec schismatis neque haereseos patronam, — et ne reformationem quidem optare in Ecclesia. Res publicae indicare jam

(1) Sub titulo: *Recueil de divers témoignages de plusieurs Cardinaux, Archevêques, Evêques, etc. en faveur de la Catholicité et de la légitimité des droits, etc. de l'Eglise Catholique des Provinces-Unies.* Utr. VAN DER WEYDE. (450 pag. 4^o.)

In opere illo inveniuntur: I consultationes quas dederunt viri docti de jure, quo Capitulum metrop. hierarchiae curam gesserit et Episcopus elegerit; II testimonia Cleri Trajectini in CODDAEI favorem; III extraneorum Catholicorum testimonia de CODDAEO, et qui ei adhaerebant; IV consultationes de illegitimitate suspensionis VARLETI; V testimonia in favorem Archi-episcoporum, canonice electorum, STEENOVEN, BARCHMAN WUYTIERS, VAN DER GROON, MEYNDAERTS; VI documenta in Episcoporum *Harlemensium* favorem; VII testimonia de tertii Episcopi electione; VIII Index praecedentium et aliorum testimoniorum quae dederunt, *a* Ecclesia Romana, *b* Ecclesiae vicinae, Germanica, Anglica, *al*, *c* Missionarii extranei, *d* Ecclesia Gallica, *e* Catholici, qui patria sua relicta ad Ecclesiam transferunt Trajectinam, *f* additamentum epistolarum ad BARCHMANNUM conscriptorum; *g* librorum catalogus conscriptorum ad causam defendendam Cleri Trajectini.

(2) Vid. supra, p. 124.

videbantur, in tempus saltem imminutum iri Societatis Jesu potestatem; — alte igitur clamare debebant *Trajectini* sese a *Jesuitis* esse oppressos, infestissimis hostibus. Orthodoxiae propterea documentum erat dandum publicum, ut increscente ubique odio adversus *Jesuitas*, simul auferretur erga *Trajectinos* benevolentia.

Eo magis vero tali defensione opus erat, quia ab altera parte haereseos increscere poterat suspicio et fama. Subdiaconus enim quidam *Rothomagensis* (Rouaan), PETRUS LE CLERC, ad Ecclesiam confugerat *Ultrajectinam*, quam suis favere sententiis palam enuntiavit. Erat ille fanaticus et infestissimus hierarchiae Romanae adversarius, qui totam de primatu Pontificis doctrinam infaustum duceret posteriorum saeculorum inventum, et PETRUM ipsum *Romae* umquam fuisse, vel a CHRISTO primatum accepisse aperte negaret. Pontifices consulto doctrinam damnasse ecclesiasticam de gratia et de praedestinatione statuens, atque confessionem fidei PII Papae IV gravium accusans errorum, — permulta docebat ⁽¹⁾ quae haeretica certo non videri non possent unicuique, doctrinae addicto Ecclesiae Rom.-Catholicae. Quando autem Ecclesiae exterae pro vero haberent PETRUM LE CLERC Clerum Trajectinum sibi invenisse consentientem, irritum foret diutius de iniustitia conqueri excommunicationum papalium. Quamvis

(1) Vid. illius opus, typis datum Amstel. a^o. 1758, sub titulo: *Précis d'un acte de dénonciation solennèle faite à l'Eglise, 1^o. d'une multitude de bulles, de brefs, etc. des Evêques de Rome, lesquels renversent la religion et les lois divines et humaines, et 2^o. des Evêques de Rome eux-mêmes et de leur cour, comme auteurs des maux et des scandales qui désolent tout dans le troupeau du Seigneur, dans le temple et dans le sanctuaire, etc.*

enim documenta adessent, quae ostendebant Trajectinos non facere cum PETRO LE CLERC, timendum erat ne adversarii multa praedicarent de necessitudine illum inter et Trajectinos. Necessse igitur erat ut Clerus solenni ac legitimo modo indicaret, sese cum PETRO LE CLERC communionem nullam habere.

Rite haec MEYENDAERTSIUS perspexit. Synodum propterea provincialem Cleri sui celebrandam statuit, ad quam, d. 20 m. Aug. 1763, epistolam dedit encyclicam ut Clerum suum convocaret.

II.

Tempore constituto, d. 13 m. Sept. 1763, Synodum incoeptam declaravit Archi-episcopus MEYENDAERTSIUS (1) Praeter Episcopos *Harlemensem* et *Daventriensem* Synodi socii fuerunt: MEGANCKUS, Capituli metropolitani decanus; N. DE WOLF, S. FABER, W. B. VAN SONSBECK, H. J. VAN ZELLER (procurator Synodi), GERARDUS KENENS, canonici *Trajectini*; F. DE HAAN, pastor *Roterodamensis*, archi-presbyteratus *Schielandiae* deputatus; A. VAN WERKHOVEN, pastor *Goudanus*, ejusdem archi-presbyteratus deputatus; W. VAN VIANEN, JOANNES HODDE, pastores *Amstelodamenses*, et J. H. VAN BINKOM, pastor *Enkhusanus*, deputati *Cleri Harlemensis*; J. B. GIJSELINCK, pastor in pago *Hilversum*; W. J. BRONS, pastor *Amisfurtanus*, et A. VAN SCHENDEL, pastor *Trajectinus*, archi-presbyteratus

(1) Vid.: *Acta et decreta synodi Cleri Rom.-Catholici provinciae Ultr. in sacella Ecclesiae parochialis Stae. Gertrudae Ultrajecti celebratae*, m. Sept. 1763. Ultr. 1764.

Ultrajectini deputati, SCHRAVELAER, pastor in pago *Rijswijk*, prope *Hagamecomitis*, archi-presbyteratum *Rhenolandiae* et *Delphlandiae* deputatus, quum N. VAN MAEREN, pastor *Trajectinus*, et H. MILLIUS, pastor *Amstelodamensis*, Synodi eligerentur scribae. Ante sessiones publicas deputati in singulis congregationibus de rebus egerant tractandis, ita ut in sessionibus *relationes* illarum congregationum recitarentur ⁽¹⁾. Accurate et haud sine doctrinae copias peractae sunt. PETRUS LE CLERC, qui ad Clerum *Trajectinum* epistolam dederat encyclicam ut adhaesionem suam causae *Trajectinae* enuntiaret, ad Synodum accessitus erat. LE CLERC coram Concilio haud stetit, et Synodo ad finem adducta, *Trajectinos* calumniae etiam accusare haud erubuit ⁽²⁾; Synodus vero prima jam sessione de illius egit sententiis.

Probavit et adoptavit Synodus *expositionem doctrinae*, a^o. 1744, BENEDICTO Papae XIV oblatam, ita ut Clerum *Trajectinum* suas haud immutasse sententias manifestum esset. Liber PETRI LE CLERC, cui titulus: *Précis d'un acte*, refutatus et damnatus est a Synodo. Adversus illius enim dicta Patrum Ecclesiae exponebantur et Conciliorum effata, quae Synodus secuta est in explicando doctrinam Rom.-Catholicam et in condemnando sententias, quas LE CLERC propugnaverat.

Tali modo Synodus egit de *quinque thesibus*,

⁽¹⁾ *Relationes* typis datae sunt, in: *Acta et decreta*.

⁽²⁾ Quum d. 7 m. Mart. 1765 Episcopus *Harlemensis* illi sacramenta interdiceret ecclesiastica, — LE CLERC *Harlemensem* in jus vocavit.

formula ALEXANDRI damnatis (1), quas LE CLERC, sensu suo naturali, orthodoxas appellaverat, quas vero Synodus damnavit, — quaestione tamen de *facto* (i. e. utrum in JANSENI *Augustino* scriptae inveniantur), haud diremta. Deinde de *primatu papali* egerunt, quem acriter defenderunt, tamquam constitutum ab ipso CHRISTO, et ab universa acceptum antiquitate Catholica, — verumtamen, more Gallicanorum, *Ecclesiae primatui* illum postposuerunt (2). De *Ecclesia Graeca* agentes, *schismatismum* tamquam impium damnaverunt. Improbata est opinio, nullam esse *Ecclesiae auctoritatem in rebus dogmaticis* constituendis, nisi in Concilio generali; *Confessio* PII Papae IV defensa est; omnium *Ecclesiae pastorum aequalitas* abjecta; *traditionis* auctoritas juxta S. Scripturam propugnata, *Concilium Tridentinum* pro oecumenico agnitum est.

Non tantum vero adversus LE CLERC Synodus doctrinam Rom.-Catholicam propugnavit, verum etiam adversus Jesuitas, imprimis adversus JOSEPHUM BERRUYER (3), JOANNEM HARDUINUM (4), PICHONIUM (5) et alia Jesuitarum scripta (6). De illis eodem,

(1) Vid. supra pag. 6, not. 1.

(2) Similem prorsus hac de re sententiam defendit MEGANCK, in opere suo: *sur la primauté du pape*, a^o. 1762.

(3) J. BERRUYER: *Historia populi Dei*, pars 2 et 3, typis datae Amstel a^o. 1753, — denno 1758.

(4) HARDUINUS: *Commentarius in N. T.* Amstel. 1741.

(5) PICHONIUS: *Mens CHRISTI et Ecclesiae de frequenti communione*.

(6) Sic: *Onderwijs voor de eerste Communie, d. i. geestelyke bruiloft van de jonge kinderen*, Lovaniae 1638, Amstel. 1695 et saepius. (libellus prohibitus Romae, d. 17 m. Jan. 1703.) — Opera conscripta a VEN. HERM. BAUSENBAUM, NIC. MAZETTA, CASNEDI, TABERNO, STOZ, CORN. HASART, NIC. MAZURKA, IS. DE BRUYN, P. P. Soc. Jesu, al.

quo de PETRO LE CLERC egerunt modo. Synodus ita laxas illorum et periculosas sententias de *doctrina* et de *moribus* damnavit, quibus severiora opposuit Ecclesiae Rom.-Catholicae dogmata de *Religionis Christianae necessitate*, de *Sta. Trinitate*, de *peccato haereditario*, de *satisfactione*, de *gratia*, de *s. Scriptura*, de *absolutione*, de *contritione*, de *communione*, de *conscientia*, de *probabilismo*, caet. AUGUSTINUM inprimis et Thomistas secuta, Synodus *Semi-pelagianas* damnavit et *Molinisticas* opiniones, et sua decreta praestantissimorum Ecclesiae Patrum et Doctorum fulcivit dictis. Synodus simul obedientiam praestandam *legibus civilibus* decrevit.

Deinde de *disciplina ecclesiastica* egit Synodus, et tales dedit de sacramentorum administrandorum ritibus constitutiones, quae attentam et integram agendi rationem non promovere non possent.

D. 21 m. Sept. Synodus epistolam dedit ad CLEMENTEM Papam XIII, cui Synodi oblata sunt *acta et decreta*, quorum approbatio papalis submisit et enixe rogata est. Finem tunc MEYENDAERTSIUS Synodo imposuit, et, quomodocunque Protestantes de doctrina Rom.-Catholica ibi propugnata, in se spectata, iudicent, nemo nisi qui praepredicatis imbutus sit opinionibus, Synodo laudem negabit, Clerum Trajectinum luculenter comprobasse se nec de haeresi cogitasse nec de schismate. Synodi doctrina prorsus respondet principio Ecclesiae Rom.-Catholicae: *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus*; quatenus saltem ulla inter Pontificios sententia cum illa regula Ecclesiastica convenire possit.

III.

MOX MEYENDAERTSIUM bene rem dijudicasse patuit. *Acta et decreta Synodi* cum epistola encyclica, d. 19 m. Ap. 1764 conscripta, oblata sunt praecipuis Cardinalibus, Archi-episcopis et Episcopis Catholicis. Undique brevi Clerus Trajectinus adhaesionis et communionis accepit documenta, adhuc in Archivis Capituli metropolitani asservata. Episcopi *Alatensis* (Alais), *Segnitiensis* (Segni), *Pignerolensis* (Pignerol), *Navarraeus* (Navarre), *Astensis* (Asti), *Seccavensis* (Seccaw), *Gallipolitanus* (Gallipoli), *Crotoniensis* (Crotona), *Besidianus* (Besidiani), *Laubacensis* (Laubach), *Regionensis* (Reggio), *Siemensis* (Sienne), *Sorrentanus* (Sorrento), et *Teaniensis* (Teano), agendi rationem comprobabant *Trajectinam*. Tam ex *Hispania*, quam ex *Italia*, *Gallia* et *Germania* plures adveniebant adhaesionem testantes litterae, datae et a theologis praeclaris et a jurisconsultis. (1)

JUSTUS FEBRONIUS (2) omnem culpam de schismate in archi-dioecesi *Trajectina* in Summum Pontificem coniecit. GERVASIO, ex ordine P. P. Augustinianorum, qui Episcopus deinde consecratus est *Gallipolitanus*, a. 1766, doctrinam Synodi *Ultrajectinae* de *contritione* orthodoxotatam dixit. In thesi etiam, quam, d. 3 m. Jun. 1765, defendit quidam monasterio *Jesuitarum Augustae Trevirorum* (Trier) adscriptus, illius

(1) Vid. nonnulla testimonia hoc loco enumerata, typis data in op: *Nouveaux témoignages*, a. 1769.

(2) Sub illo pseudonymo, DE HONTHEIM, Episcopus *Miophititanus*, librum edidit: *de statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis*. (ed. altera a. 1765).

Synodi citata sunt acta. Theatinus CONTI, Juris canonici *Parmae* professor, Clerum Trajectinum orthodoxum appellavit. GABRIELIS ANTONIUS DE BOURBON, *Hispaniae* Infans, Praesul magnus *Castiliae*, atque illius nomine LUDOVICUS ARIAS DAVILA, idem fecit in epistola pastorali, a^o. 1767, ad socios Ordinis *S. Joannis Hierosolymitani*, data. JOSEPHUS CLEMENT, Episcopus *Barcinensis* (Barcelona), Ecclesiam Trajectinam pauperem dixit opibus, ditem vero virtutibus, atque omnes, ut illi auxilium praestarent, excitavit. (1) ANTONIUS PEREIRA, Congregationi Oratorianorum PHILIPPI DE NERI adscriptus, tribunalis censurae *Olyssippone* (Lissabon) deputatus, validam appellavit Episcoporum, a Clero Ultr. electorum, consecrationem, et dixit Pontificem quidem, non vero Ecclesiam Rom.-Catholicam communionem in divinis illis recusare. Archi-episcopus *Burgensis* (Burgos) Ecclesiam Trajectinam, sine justis causis, excommunicatam esse statuit. In *Germania* etiam multi Episcopi sese cum Episcopo *Trevirensi*, JOANNE PHILIPPO DE WALDERDORF-MOETZBURG, conjungere voverunt ut *Trajectinos* adjuvarent, atque multo tantum labore Nuntius *Coloniensis* et Cardinalis TORRECIANUS illam impediverunt conjunctionem. PHILIPPUS DE SAN-SEVERINO, Episcopus *Alifensis* (Alifa) et THOMAS AB AGLIALATELA, Episcopus *Sorensis* (Sora), praecla-

(1) In epistola pastorali, d. 26 m. Mart. 1769, qua versionem commendat *Hispanam* libri, quem scripsit FLEURY: *Moeurs des Israelites et des Chrétiens*. Graves molestias Episcopo *Barcinensi* illud paravit de *Trajectinis* dictum, quae vero simul ostenderunt Ecclesiam *Hispanam* causam comprobare *Trajectinam*. Vid. DUPAC, p. 441—449.

rus uterque inter Episcopos *Neapolitanos*, ad MEYMDAERTSIUM scripserunt, Synodi *Trajectinae acta* ad meliorem de *Trajectinis* sententiam sese adduxisse. (1) PAULUS CAISOLLI, Episcopus *Astensis* Episcopos *Italicos* in *Trajectinorum* auxilium conjungere voluit. Ex *Gallia* etiam multa advenerunt adhaesionis testimonia, quamvis unus tantum Episcopus, J. L. DE BUISSON DE BEAUTTEVILLE, epistolam ad MEYMDAERTSIUM daret. Per plures vero *secundi ordinis* Ecclesiastici comprobationem suam enuntiarunt. Praeter Ecclesiasticos *Parisienses*, *Antissiodorenses*, *Trecenses*, *Cateleau-nenses* (Châlons sur Marne), et *Rothomagenses*, facultas juridica *Parisiensis*, d. 31 m. Jan. 1765, suam declaravit adhaesionem. Novem insuper ejusdem ordinis professores, d. 15 m. Jan. eodem anno, amplius etiam comprobationis dederunt documentum. (2)

IV.

Quum ita omnibus in oculos incurreret, Clerum *Trajectinum* nequaquam universum orbem Catholicum sibi invenisse inimicum, difficillimum erat Sedi Apostolicae statuere, qua ratione erga *Trajectinam* Synodum agendum foret. Altum teneri de Synodo silentium non poterat, quum tot praecessissent excommunicationes, et plurimi silentium illud tamquam tacitam Synodi comprobationem laudaturi essent.

(1) DUPAC. p. 404 sqq., qui de caeteris etiam adhaesionis documentis, h. l. adductis, cons.

(2) Sub titulo: *Adhaesio doctrinale au second concile d'Utrecht*. Prior Synodus *Trajectina*, a. 1565 sub Archi-episcopo SCHENCKO celebrata est.)

Quando vero Pontifex *acta et decreta* Synodi comprobaret, simul enuntiaretur orthodoxam esse et laudabilem Ecclesiae excommunicatae doctrinam, ideoque injustas fuisse illas excommunicationes papales, — ita ut aperte *Sedis* Apostolicae ipsius, inde ab a^o. 1702, adversus Clerum Trajectinum damnaretur injustitia. Si autem damnarentur Synodi *acta et decreta*, pateret quot quantique Rom.-Catholici discrepant a Pontificis judicio. Quenam Synodi doctrina jure meritoque damnanda erat? Quomodo, doctrinâ damnatâ, cui tot in omnibus orbis Catholici partibus adhaerebant viri docti et probi, *unitas dogmatica* Ecclesiae Catholicae, adversus Aetholicos, abhinc defendi posset? Qua ratione ostendendum foret Ecclesiam Trajectinam non facere cum illis Ecclesiae Catholicae Patribus, quorum dicta a Synodo tamquam *norma fidei* erant allata?

Sedes Apostolica illas perspiciebat difficultates. CLEMENS Papa XIII ipse a componenda lite haud alienus fuisse videtur, ita ut Synodi *acta* bona etiam appellaverit (1); adversarii vero Cleri Trajectini omnia moliebantur ut Sedes Apostolica illi insisteret viae, quam inde ab a^o. 1702 secuta erat. Longa *Romae* erat cunctatio. Frustra d. 3 m. Apr 1765 Cardinalis CASTELLIUS rem eo adducere conatus est ut Synodi *acta* prohiberentur. Sex Cardinales tunc electi sunt qui in rem inquirerent. ALBANIUS et TORREGIANIUS damnationi restiterunt, — REZZONICO vero, NEGRONIUS, FEBRONIUS et CASTELLIUS ad illam adhortati sunt. Reapse d. 30 m. Ap. 1765 damnationis decretum

(1) DUPAC. p. 415.

evulgatum est, in quo Synodus falsa dicitur et schismatica, sine ordine vel jure convocata, conatu quodam audacissimo ordinem evertendi hierarchicum. De Synodi *doctrina* ipsa, nulla in damnatione fit mentio! Clerus Trajectinus, d. 19 m. Oct. 1766, adversus illam constitutionem papalem, *Non sine acerbo* dictam, epistolam apologeticam ad Pontificem scripsit, quam, multis comprobantibus, cum praecipuis Ecclesiae Rom.-Catholicae Praelatis deinde communicavit. (1)

Ecclesia *Gallica*, quae evidenter hucusque arctissimae cum *Trajectinis* conjunctionis documenta dederat, longe aliud jam de Ecclesia Trajectina judicium latura erat. In coetu turbulentissimo Episcoporum *Gallicorum*, a^o. 1766, de Synodi *Trajectinae actis et decretis* agendum erat. D. 25 m. Jun. 1766 res tractari coepit. Archi-episcopus *Tolosanus* BRIENNE, amplam praelegit *relationem*, in qua satis inaccurate (2) et injuste proposita erat Ecclesiae Trajectinae causa, et judicium datum de Synodi *actis*, ut coetus de Synodo sententiam enuntiaret, cum damnatione papali convenientem. Quamvis longo temporis spatio opus fuisset ad bene inquirendam *relationem*, cum documentis Synodum spectantibus (3), postridie jam, (d. 26 m. Jun.) coetus ad damnandam Synodum Ultr. transiit, ita ut, nimiae festinationis documentis invitis,

(1) Typis data a^o. 1767 (45 pag. 4^o.)

(2) Sic in *relatione* scriptum erat, HIERONYMUM DE BOCH, Episc. Harl. et J. P. VAN STIPHON, Episc. Daventr. Synodi fuisse socios. DE BOCK (non DE BOCH) a^o. Jan. 1744 mortuus erat, et a^o. 1763 J. VAN STIPHOUT Sedem occupabat Harlemensem, ac E. J. BIJEVELD, Sedem Daventriensem.

(3) 219 pag. 4^o. constitit, *relatio* cum documentis de Synodo Ultr.

omnes Episcopi declarationi subscripserint, sese Archiepiscopi *Tolosani relatione* audita, et examinatis singulatim *actis et decretis* Synodi, post consultationem communem, invocato Dei nomine, damnare *acta et decreta Synodi Ultrajectinae*, tamquam plena sententiis falsis, calumniosis, turpibus, ad schisma adducen- tibus, hierarchiam evertentibus ecclesiasticam, et inju- riosis in Sedem Apostolicam.

A^o. demum 1773, quum acta coetus *Gallici* in lucem emitterentur, Clero innotuit illud parum hones- tum *Gallicorum* judicium. D. 20 m. Mart. 1774 Archiepiscopus *Trajectinus*, cum utroque Episcopo Suffraganeo, epistolam conscripserunt, ad Archiepi- scopum *Tolosanum*, qua sese opposuerunt illi, quam de Ecclesia Trajectina dederat, relationi. Causam suam defendentes, propugnarunt Ecclesiastico- rum *secundi ordinis* jus Synodum celebrandi provin- cialem; — multa quae acceperunt documenta favoris laudarunt; et exemplum proposuerunt Universitatis *Coloniensis*, quae, etsi Synodum Traj., schismatis causa, nullam diceret, tamen d. 13 m. Sept. 1765 Synodi *decreta* orthodoxotata appellaverat.

Nec vero Pontifex, neque Episcopi *Gallici* suum revocarunt aut immutarunt judicium, quod ex multo- rum, incultorum imprimis, opinione, Clerum Tra- jectinum schismatis et haereseos sontem esse lucu- lenter probabat.

V.

MEYENDAERTSIUS, qui constans et indefessus causam propugnaverat Ecclesiae Trajectinae, d. 31 m.

Oct. 1767, diem supremum obiit. ⁽¹⁾ Capitulum metropolitanum GUALTHERUM MICHAËLEM VAN NIEUWENHUIJSEN, pastorem *Dordracenum*, elegit ad Sedem *Trajectinam*. VAN NIEUWENHUIJSEN consecratus est, d. 7 m Febr. 1768, ab Episcopo *Harlemensi*, et d. 25 m Maj. eodem anno, epistolam dedit pastorem. Tam consecrationis, quam epistolae pastoralis relationem ad praecipuos Episcopos et proceres Catholicos misit, et, excommunicatione invita, more solito a CLEMENTE Papa XIII, post acceptum de consecratione nuntium, Kal. Jun. 1768, enuntiata, — multa accepit communionis in divinis documenta. Inter illos, praeter septem Academiae *Siennensis* (in *Toscania*) theol. professores, sacerdotem domesticum Pontificis, et permultos ex ordine P. P. Augustinianorum et Dominicanorum, nominandi sunt Episcopi BORTOLI, CLIMENT, RICCI, CAISOLLI, HERBERSTEIN, DE HONTHEIM, RAUTENSTRAUCH, SIMIOLLI et JOSEPHUS PANNILINIUS, al. ⁽²⁾

Sub Archi-episcopo VAN NIEUWENHUIJSEN nova allucescere coepit reconciliationis, Pontificem inter et *Trajectinos*, spes.

Archi-episcopus enim, a^o. 1769, CLEMENTEM Papam

(1) Quum Ecclesia *Hispana* canonisationem rogaret JOANNIS A PALAFOX, Episcopi *Angelopolitani* (in *America*), Jesuitae illi restiterunt desiderio, atque ut bono cum successu *Hispanis* sese opponerent, PALAFOXIUM Jansenismi accusarunt. Hanc ob causam epistolam fictitiam conscripserunt, MEYENDAERTSI nomine, qua ille Archi-episcopus PALAFOXIUM laudat tamquam *quinque thesium*, formula ALEXANDRI damnatarum, propugnatorem. Quia epistola d. 15 m. Dec. 1770 conscripta est, et MEYENDAERTSIUS d. 31 m. Oct. 1767 mortuus erat, fraus mox detecta est. DUPAC, p. 451.

(2) DUPAC, p. 435. BELJS, *Rome en Utrecht*. II.

XIV. nuper electum, pacem ardentem rogavit. Multi tunc magni ponderis Catholici, *Romae* degentes, schismati in archi-dioecesi *Trajectina* finem imponendum ducebant. Non tantum Cardinalis MAREFOSCHIUS ut concordia restitueretur intendit vires, sed Episcopi etiam nonnulli *Germanici*, inter quos FERDINANDUS DE HALLWEIL, Episcopus *Neostadiensis* (Neustadt), Imperatricis MARIAE THERESIAE hac in re flagitarunt auxilium. Imperatrix administro suo in *Italia*, comiti DE SAINT-ODYLE, m. Oct. 1769, propterea causam commendavit Cleri *Trajectini*. VAN NIEUWENHUYSEN ipse epistolam accepit, ab incognito quodam *Romae* conscriptam, qua rogabatur ut plenam daret potestatem ad intercessionem, atque promitteret Clerum omnes universe accepturum esse Constitutiones papales, nec formula ALEXANDRI nec Constitutione *Unigenitus* diserte nominata. Anonymus ille praeterea postulavit Clerum sponsurum esse, sese appellationem revocaturum a^o. 1719 emissam, thesco damnaturum, quas damnaverat Ecclesia Rom.-Catholica, — et Episcopos, si pax melius ita constitui posset, abdicaturos esse munere Episcopali. VAN NIEUWENHUYSEN vero responsum dedit sese, praeter consensum Capituli, nil posse promittere, nec viro ignoto plenam potestatem posse tradi. Clerus *Trajectinus* interim consilium accepit, unum vel duos *Romam* mittendi delegatos, qui cum Pontifice agerent de restituenda pace. Quamvis vero nec formula ALEXANDRI, nec Constitutio *Unigenitus* dissidii certe esset causa, mox manifestum erat, implicitam saltem utrique Constitutioni submissionem a *Trajectinis* petatum iri. Plures tamen, *Germanici* imprimis Catholici, *Trajectinos* admonebant ne suam

haec de re immutarent sententiam, quia CLEMENTIS Pontificis aequitas ab ignobili certe abhorreret agendi ratione. Post longas dubitationes *Trajectini* duos delegatos *Romam* mittendos statuerunt, etsi a parte Sedis Apostolicae duae perdifficiles institutae essent conditiones: 1^o. ut patriae Moderatores deputationem (1), et 2^o. ut major Catholicorum Belgicorum pars reconciliationem comprobarent.

Undique tamen *Trajectini* incitati sunt ut deputationem suam deferrent, donec ad finem adducta forent ea, quae alii *Romae* habitantes in *Trajectinorum* auxilium inceperant, et Pontificem minores impedirent labores. Capitulum metropolitanum interea, a^o. 1771, in deputationum usum diplomata confecit, quibus summa concederetur potestas, hacce conditione: ut 1^o. constituta pace nec veritas et iustitia offenderentur, nec antecessorum damnaretur agendi ratio, — ut 2^o. nulli subscribendum foret declarationi, cum *Trajectinorum* pugnanti sententiis, — et ut 3^o. omnia justa ac honesta conamina comprobanda essent.

Adhaec etiam est reconciliationis spes quum *Trajectini* in epistola ad Pontificem, d. 10 m. Aug. 1771, fraudem Jesuitarum, de MEYENDAERTSII epistola commissam, detegerent (2), atque Aula *Hispana* ministro suo, Archi-episcopo *Valentiano* causam commendaret *Trajectinorum*. Capitulum metropolitanum,

(1) Quum de illa comprobatione ageretur publica, patuit unicum quod Magistratus praestare posset, omni dissoluto nexu politico Aulam inter Belgicam et Papalem, id esse, ut legitimae deputatis concederentur litterae itinerariae. Reconciliatio ipsa tamen Magistratui non placere non potuit.

(2) Vid. supra, p. 147, not. 1.

d. 2 m. Dec. 1771, Pontifici memorandum obtulit de causa sua, uti et m. Febr. 1772 duas alias ampliores relationes. Sedes Apostolica vero revocationi institit appellationis, a^o. 1719 emissae.

Interea m. Mart. 1772, HIERONYMUS COLLERODO, a Suffraganeis ad Sedem Archi-episcopalem *Salisburgensem* (Saltzburg) electus est ⁽¹⁾, ea conditione, ut omnes intenderet vires ad pacem reddendam Ecclesiae Trajectinae. COLLOREDO, d. 23 m. Jul. eodem anno, ad Cardinalem MAREFOSCHIUM scripsit, Ecclesiam Trajectinam in dies plures sibi comparare amicos et fautores, tantosque ac tales, ut Sedis Apostolicae non interesse non posset, communionem in divinis concedere *Trajectinis*. Episcopus *Seccavensis* Archi-episcopo *Trajectino* amplam dedit de illa egregia epistola relationem. MAREFOSCHIUS, d. 8 m. Aug. *Salisburgensi* responsum dedit, reconciliationis spei favens.

Illi tamen, qui cohaerebant cum Societatis Jesuitarum extinctionione, labores, paullulum deferendam esse *Trajectinorum* causam suadebant. D. 21 m. Jul. 1773 extinctionionis decretum a CLEMENTE Papa XIV datum est. Mox vero in languorem illum pernotum CLEMENS incidit. Clerus Trajectinus admodum benevolum lugebat Pontificem, quo mortuo honorificae pacis spes statim evanuit.

VI.

Frustra VAN NIEUWENHUYSEN PIUM Papam VI,

(1) In archi-dioecesi *Salisburgensi* Archi-episcopi, nostris adhuc diebus, a Suffraganeis eliguntur, atque Suffraganci ab Archi-episcopo confirmantur.

CLEMENTIS successorem, pacem rogavit. Omnes enim irriti fuerunt conatus.

D. 16 m. Dec. 1777, Episcopus *Harlemensis* VAN STIPHOUT diem supremum obiit. *Jure* iterum *devolutionis* Clerus *Trajectinus*, Capitulo *Harlemensi* invito, ADRIANUM BROEKMAN, Seminarii *Amisfurtani* praesidem, ad Sedem elegit *Harlemensem*. D. 2 m. Maj. 1778, electionis relatio *Romam* missa est. BROEKMAN, d. 21 m. Jun. eodem anno consecratus ab Archi-episcopo *Trajectino*, mox *admissionem* accepit *civilem* ⁽¹⁾. D. 22 m. Jul. Pontifex adversus Episcopi *Harlemensis* *electionem*, more solito, excommunicationem enuntiavit, uti et d. 5 m. Aug. adversus illius *consecrationem*.

D. 20 m. Jun. 1778, Episcopus etiam *Daventriensis*, BYEVELD, diem supremum obiit. NICOLAUS NELLEMAN, Pastor *Delphis*, illius electus est successor, qui, d. 4 m. Sept., more solito electionis relationem *Romam* misit, et ab Archi-episcopo *Trajectino* d. 28 m. Oct. consecratus, a pio Pontifice, d. 19 m. Jan. 1779, excommunicatus est.

Pedetentim vero Ecclesiae *Trajectinae* pondus ad tempus imminuit. Episcopi et sacerdotes moderate et strenue exigui gregis curam gerebant, haud immunita Magistratum benevolentia ⁽²⁾; — sed parum *Trajectinorum* immutata est conditio. Tam intra quam extra patriam nostram res publicae omnium occupare coeperunt animum, ita ut parvae Ecclesiae momentum non decrescere non posset. Non defuerunt quidem, ab

(1) J. H. DE VRIES, l. l. p. 66.

(2) In *dissert de tolerantia ecclesiastica ac civili*, a^o. 1783 Imperatori JOSEPHO II dicata.

Ecclesiis exteris data communionis documenta, verumtamen deerat illa, quae sub CLEMENTE Papa XIV obtinuerat, strenua multorum conjunctio. Nonnulla adhaesionis testimonia, tempore etiam turbidissimo, Clerum Trajectinum communionem *mediata* cum Sede Apostolica gavisum esse, probare poterunt.

Comes THADDAEUS A TRAUTMANSDORF, cononicus *Oltmubiensis* causam propugnauit *Trajectinorum* ⁽¹⁾, et d. 5 m. Jul. 1783, thesin defendit: *Ecclesia Cathedralis dignitate sua haudquaquam decidit etiam sub ditione Principum A catholicorum*, quam sententiam, ESPENIUM secutus, ad Ecclesiam retulit Trajectinam, *Trajectinos* injuste a Pontifice opprimi statuens ⁽¹⁾.

Eandem thesin, d. 14 m. Maj. 1784, MAXIMILIANUS KOLLUËG, probante tota facultate theologica Academiae *Vindobonensis* (Weenen), defendit, — uti et, m. Aug. 1784, duo ex ordine P. P. Benedictinorum Universitati *Pragensi* adscripti. D. 19 m. Jun. 1786 CAJETANUS ROTTENSTOEDTER, in Academia *Ticinensi* (Padua), thesin defendit: Ecclesiam Trajectinam omni haereseos et schismatis suspitione immunem, prorsus esse Romano-Catholicam. A^o. 1787, in coetu 18 Episcoporum *Tuscorum*, Synodi *Ultrajectinae acta et decreta* tanquam orthodoxa laudata sunt, quum unus ex Episcopis honorificum esse diceret eandem sententiam, quam Ecclesia illustrissima Trajectina, propugnare.

⁽¹⁾ Vid. praeter DUPAC, BUIJS, al., *Diarium: Nouvelles Ecclésiastiques*, n^o. 1784, d. 13 m. Febr. a^o. 1785 sqq. et libellus: *Stelling uyt eene thesis, in 't openbaer den 15 Julij 1784, te Weenen verdedigd, in welke de Kerk van Utrecht voor echt Katholiek erkend wordt. Met twee andere stukken.* Utr. Schelling. 1784.

Quum, a^o. 1796, publice constitutus Sacrorum ordo aboliretur, et religioni *Catholicae*, in patria nostra, idem concederetur locus et honor, quam *Reformatae*, Ecclesia Trajectina eodem adhuc erat statu, quo inde ab a^o. 1758 fuerat. Nihil igitur illa Sacrorum immutatio *Trajectinis* vel abripuit vel attulit, nisi quod Episcopi et Sacerdotes, causae *Trajectinae*, addicti, non amplius *admissione* egerent *civili*, ad munus suum administrandum. Et quandoquidem non Magistratus A catholici, sed Missionarii Catholici Clerum Trajectinum oppresserant, timendum fere erat, ne Missionarii, non amplius ut antea Magistratum auctoritate prohibiti, majore etiam quam adhuc vi, Clero Trajectino insidias molituri forent.

CAPUT II.

1796—1859.

INDE A PUBLICA APPROBATIONE RELIGIONIS CATHOLICAE,
USQUE AD HOSCE DIES.

I.

Primis post abolitionem publici Sacrorum ordinis annis, parum notatu digna erant Cleri Trajectini fata.

Archi-episcopus VAN NIEUWENHUIJSEN, d. 14 m. Ap. 1797, diem supremum obiit. More solito, JOANNES

JACOBUS VAN RHIJN ad Sedem *Trajectinam* electus est, d. 10 m. Majo, eodem anno. Episcopus *Harlemensis*, d. 5 m. Jul. *Ultrajectinum* consecravit, et PIUS Papa VI, ad quem, d. 18 m. Majo, de *electione* et d. 10 m. Jul. de *consecratione*, relatio missa more solito, d. 26 m. Aug. illum excommunicavit. VAN RHIJN, d. 20 m. Ap. 1799, epistolam dedit pastorem, cui preces adjunxit pro pace. Quamvis res publicae, magis quam ecclesiasticae, id temporis omnibus cordi essent, Archi-episcopo communionem in divinis indicarunt, praeter multos *secundi ordinis* Ecclesiasticos, Archi-episcopi *Utinensis*, ZORZI, et *Salisburgensis*, COLLOREDO, atque Episcopi *Pistojsensis*, RICCI, ⁽¹⁾ *Chiusensis* ac *Piensensis*, PANNILINIUS, et *Nolensis*, SOLARIUS.

D. 28 m. Nov. 1800, Episcopus *Harlemensis*, BROEKMAN diem supremum obiit. Illius successor, JOANNES NIEUWENHULJS, d. 28 m. Oct. 1801 consecratus, a Pontifice excommunicatus est.

D. 5 m. Maj. 1805, NELLEMAN, Episcopus *Daventriensis* mortuus est, cui GIBBERTUS DE JONG successit.

Episcopi illi jura sua adversus Sedem Apostolicam defendebant, antecessorum prementes vestigia. Alta vero quies jam inter Clerum *Trajectinum* aderat.

A^o 1803 et 1804 procuratio quaedam fuit litteraria. THEOD. DE VOS enim, apud Missionarios pastor

(1) Idem qui coetui Episcoporum *Tuscorum* interfuerat. Vid. supra, p. 152. Postea ricci sententiam suam revocavit, quum crudelissima persecutione eo adduceretur, ut formulac, a parte Sedis Apostolicae confectae, subscriberet, qua damnata sunt illius coetus acta et decreta.

in pago *Rinnegom* (Egmond), quum ex parochia sua ad *Trajectinos* quidam transiret, libellum adversus Ecclesiam Trajectinam edidit (1), sed WILLIBRORDUS VAN OS, Capituli metropolitani grapharius, responsum adversus illum dedit (2), — ita ut nulla amplius, ante a^o. 1819, exarscrit *Trajectinos* inter et Missionarios pugna litteraria.

II.

Quum vero ita extra Ecclesiam Trajectinam decrescerent pedetentim benevolentiae et adhaesionis documenta manifesta, et nihil in Cleri statu immutaretur, — in Ecclesiae Trajectinae ipsius sinu multi esse coeperunt, qui pacem cum Pontifice restituendam ducerent, pacto certe minus honorifico, quam postulerant patres. Illorum *Trajectinorum*, qui ita ad pacem proclives erant, reconciliationis conatus vulgo *Irenismi* indicatur nomine, ex MARTINI GLASBERGEN, qui in illo conamine primas egit partes, pseudonymo. GLASBERGEN, — id temporis pastor parochiae *den Helder* et *Huisduinen*, qui postea, usque ad mortem (+ 1837), Ecclesiae Trajectinae Episcoporum Secretarii gen. munere functus est, propter illos conatus in multorum maledicentiam incurrit et odium, — sed adeo constans suo institit conatui ut certe bona fide in re periculo-

(1) Sub titulo: *Bewijs dat de Jansenisten buiten de gemeenschap der R. Kath. Kerk zijn.*

(2) Sub titulo: *Antwoord aan den Heer THEOD. DE VOS. W. VAN OS iam antea de causa Cleri Trajectini librum dederat, cui titulus: Vredelievende gedagten, a^o. 1797.*

sissima egisse censendus sit ⁽¹⁾. Illius *Irenismi* decursum brevi exponamus. ⁽²⁾.

Regis Romano-Catholici LUDOVICI ad thronum *Belgicum* adventus ex nonnullorum Cleri Trajectini sacerdotum, MARTINI GLASBERGEN etiam, opinione, opportunitas erat valde egregia ad pacem restituendam. GLASBERGEN, animo fervido juvenis, Archi-episcopum VAN RHYN propterea eo adducere conabatur ut omnes Cleri sacerdotes ad coetum convocaret, in quo de reconciliationis agendum esset conditionibus, et cui, fieri si posset, nonnulli etiam ex Missionariis deputati interessent. Archi-episcopus illi restitit petitioni, veritus ne in tali coetu major numerus, vel spe vel metu ductus, decreta statueret, quae ad brevem quidem externam adducerent reconciliationem, sed mox *Trajectinorum* pararent interitum, oppressis iis, quas diu propugnaverat Clerus Trajectinus, sententiis.

GLASBERGEN propterea sub *Irenaei* nomine, libellum edidit ⁽³⁾, in quo hasce reconciliationis proposuit condiciones: ut ab altera parte *formula* ABEXANDRI et *Constitutio Unigenitus*, ex quibus divortium ortum

(1) Verbo GLASBERGEN ipse in Oratione sacra, quam habuit quum jubilaum quinquagesimale celebraret, ad illum alludit Irenismum, dicens ita semper sese egisse, ut ad Ecclesiae Trajectinae promovendam salutem utile et necessarium duxerat.

(2) Plurima ex Archivis dioeceseos *Harlemensis*, quorum aditus benevole mihi concessus erat, collegi de iis quae acciderint inde ab a^o. 1806 usque ad 1823.

(3) Sub titulo: *De Katholieke Kerk van Holland in haren ouden luister hersteld, of, priesters en leeken op het dringendst aangespoord om de aloude kerkyeschillen op eene voor beide partijen aannemelijke wijze te doen eindigen.* 1806.

erat, omittendae et oblivioni tradendae essent, — et ab altera parte silentium foret tam de Jansenismo, quam de Ecclesiae Trajectinae causa. Concordia igitur, ad Concordiae *Gallicae* normam, quam PIUS Papa VI cum NAPOLEONTE inierat, ex *Irenaei* opinione, ad pacem adducere posset, quippe quae Regi facultatem concederet Episcopos eligendi, a Summo Pontifice confirmandos. *Irenistae*, qui duabus epistolis publicis et aliis scriptis suam defendebant sententiam, honorificam ducebant constitui pacem, quando nullus amplius de *formula* nec de *constitutione* esset sermo, — Episcopi, qui Clero praeerant Trajectino a dignitate sua Episcopali abdicarent, ea vero conditione ut a Rege LUDOVICO ad Sedes iterum eligi possent, — atque ab Archiepiscopo novum constitueretur Capitulum, cui et nonnulli ex *Missionariis* et ex *Trajectinis* adscribendi forent.

Mox vero adversus *Irenaeum* libellus in lucem missus est ⁽¹⁾, atque inprimis monachus *Hispanus*, ALVAREZ AUGUSTINUS DE LEAGNO (S. LIANO) acriter et acerbe in *Irenaeum* invectus est. LEAGNO, propter vehementem et turbidam suam agendi rationem, brevi a Magistratibus, *Irenismo* faventibus, ex patria nostra pulsus est, petitione invita humili, quam adversus illud exilii decretum Regi LUDOVICO tradidit. Illius exilii culpam *anti-Irenistae* in *Irenaeum* converterunt, quem propterea majore etiam quam antea odio persecuti sunt. GLASBERGEN tamen ipse solemniter testatur, se nihil ad illud provocandum decretum fecisse ⁽²⁾.

(1) Sub titulo: *De ware Pacificus tegenover den valschen Irenaeus.*

(2) Epistolae hac de re authenticae inveniuntur in Archivis Harlemensibus, conscriptae pleraeque a Ven. W. VAN OS, S. WALLAERT, GLASBERGEN, VAN RUIJN, LEAGNO, VAN DER FELS, J. BON, BUIJS, al.

Qui *Irenismo* resistebant inter Clerum Trajectinum, minus vero quam LEAGNO violenter, W. VAN OS inprimis et STEPHANUS WALLAERT, et periculosos et intempestivos esse *Irenistarum* conatus iudicabant, quippe Magistratibus nimium *jus* concedentes circa et etiam *in sacra* (1). Etiam si enim, uti inde ab a^o. 1528 usque ad a^o. 1648 fuerat, *nominatio* Regi concederetur, et *electio* tantum illius, quem Rex nominasset, Capitulo competeret, periculum immincebat ne e Principis, inconsulti saepissime, nutu Sedes pendere Episcopales; — tota vero *electio* Episcopalis Regi concedi non posset, nisi violatis Ecclesiae legibus. Praeterea Missionarii multo majore erant numero, ita ut brevi Archi-episcopus eligi posset Ultramontanismi fautor, qui mox, subscriptione iterum introducta *formulae* ALEXANDRI et *Constitutionis Unigenitus*, atque pastoribus, causae *Trajectinae* addictis, ad parochias *Missionariis* addictas translatis, reapse victoriam Jesuitis concederet. *Irenaei* vero iudicium de cardine quaestionis, qui ita rem proposuerat, aesi non facile posset dirimi lis de *Ecclesiae Capitulique existentia et juribus*, parum honorificum erat atque antecessorum actorum damnatio fere dicendum.

Irenistae auxilio fruebantur Regis LUDOVICI, qui omnes intendit vires ad schismati finem imponendum, quamvis in colloquio a^o. 1807 m. Oct. Archi-episcopo promisisset se nihil facturum, nec ad promovendam nec ad prohibendam reconciliationem, — atque benevole semper se *Trajectinos* defensurum esse (2).

(1) W. VAN OS illa animadvertit in epistolis non tantum ad WALLAERT, DON, al, — sed etiam ad ipsum MART. GLASBERGEN.

(2) Ex ep. Archi-episcopi ad Episc. Harl., Kal. Nov. 1807.

Regis Confessor vero apud Sedem Apostolicam illorum conatibus pacificis patrocinator est. Constantia tamen, virtus, moderatio *anti-Irenistarum Irenismum* devicit. D. jam 12 m. Mart. 1808 *Irenista* quidam, haud perverse, *Irenismum* comparavit cum monte parturiente mus. Inprimis quum rerum publicarum decursus ad majoris momenti res omnium excitaret attentionem in oblivionem mox abiit reconciliationis studium, quod saepe viam inierat parum probandam, ad communionem accipiendam *immediatam* cum Sede Apostolica. *Irenismus*, Cleri Traj. placabilitatis documentum, virtutem indicat WILLIBORDI VAN OS, STEPHANI WALLAERT, al. — atque ostendit, quantopere luceat Ecclesia Trajectina illam, in quam incurrit, schismatis suspicionem.

III.

Mox patuit Clero Trajectino non valde prosperum fore Regis Catholici imperium. D. 24 m. Jun. 1808 Archi-episcopus VAN RHYN diem supremum obiit (1). Rex LUDOVICUS prohibuit ne ad eligendum successorem transiret Capitulum metropolitanum (2). LUDOVICUS enim ita facilius concordiam restitutum iri ducebat, et sibi, tamquam Regis Catholici PHILIPPI II, quod ad patriae nostrae attinet dominium, successoris, *nominationem* saltem ad Sedes Episcopales, a^o. 1559

(1) Uti videtur, quidam ex ordine P. P. Dominicauorum epistolam illi tradidit veneno imbutam, qua accepta, VAN RHYN eodem jam die mortuus est.

(2) *Irenistae* defensionem illam rogaverant regem, — saltcm summo cum gaudio defensionis acceperunt nuntium.

erectas, competere aestimabat. Procul dubio LUDOVICUS, aequae ac illi, quos habebat Administros, Clerum Trajectinum et Episcopos Ecclesiae Trajectinae publice agnoscebant, uti probant et auditiones et litterae (1) permultae. Studium vero increvit nexum restituendi res Ecclesiasticas inter et Civiles, (2) ultimo saeculi proxime elapsi decennio dissolutum, imminuta quodammodo singularum Societatum Ecclesiasticarum (3) libertate, — atque LUDOVICUS in mente habebat totam conditionem Rom.-Catholicorum Belgicorum ita immutare ut simul tolleretur schisma. Hanc ob causam Capitulum metropolitanum ad Archi-episcopum eligendum transire non potuit, et Sede vacante Episcopum *Daventriensem* et WILLIBORDUM VAN OS Vicarios suos generales elegit.

Ut melius concordia restitui posset J. H. MOLLERUS, Administer Regius Sacrorum, et *Trajectinorum* et *Missionariorum* rogavit sententiam. Inter *Missionarios* etiam nonnulli, magnae auctoritatis Pastores, ad pacem erant proclives. Ita LEXIUS, id temporis

(1) Sic d. 5 m. Jul. 1808, J. H. MOLLERUS ad *Episc. Harl. et Dav.* epistolam dedit, qua sese miratum esse dicit, legitimo modo nuntium nondum esse acceptum de *Archi-episcopi Ultr.* morte. Sic d. 29 m. Maj. 1809, VAN DER CAPELLEN scripsit ad *Episc. Harl.* sese, MOLLERI loco, Administram Regium Sacrorum esse electum, caet. Vid. J. H. DE VRIES, l. l. p. 93 sqq.

(2) Vid. C. W. PAPE. *Het lenen van J. D. Janssen, secretaris-generaal en adviseur bij het departement voor de zaken der Hervormde Kerken.* 's Hertogenbosch 1855.

(3) *Magistratus* Ecclesiam Trajectinam tamquam Societatem Ecclesiasticam, a caeteris Rom.-Catholicis divisam, non habere non poterant, quia alii Praelati *Trajectinis*, alii Missionariis praeerant. Vid. tamen supra pag. 10. not. 1.

Pastor Missionarius *Amstelodamensis*, qui hasce proposuit conditiones: 1^o. ut *formula* ALEXANDRI et *Constitutio Unigenitus* oblivioni traderentur, 2^o. ut nova conficeretur divisio Ecclesiastica, qua legitimo modo Capituli metropolitani immutarentur jura, 3^o. ut Episcopi, causae *Trajectinae* addicti, a Pontifice excommunicati, denuo a Rege eligerentur et a Pontifice confirmarentur, — 4^o. ut de Jansenistis, JANSENIO, QUESNELLIO, ARNALDO caet., altum esset silentium, 5^o. ut PII Papae IV *confessio fidei* sufficeret ad *Trajectinorum* probandam Catholicitatem, 6^o. ut novum erigeretur Capitulum metropolitanum, cui et *Trajectini* adscriberentur et *Missionarii* (1).

Illis invitis reconciliationis conatibus, quibus vero PIUS Papa VII parum favit, coecam postulans obedientiam, schisma haud sublatum est. D. 14 m. Jan. 1810 Episcopus *Harlemensis* NIEUWENHUYS mortuus est. Quum ad eligendum successorem transiri non posset, WALLAERT et J. BON diocesanos *Harlemensis* Vicarii generales constituti sunt, — ita ut unus tantum superesset Episcopus *Daventriensis*, G. DE JONG, qui ordinis Episcopalis perdurationis in Ecclesia *Trajectina* curam gerere posset. Ille etiam *Goudae* aqua fere suffocatus est. Quum igitur d. 9 m. Jul. 1810 decretum evulgaretur publicum, quo patria nostra cum Regno *Gallico* conjungeretur, miserrima erat Cleri *Trajectini* conditio, quum ex unius tantum viri, quod ad homines, Ecclesiae *Trajectinae* penderet existentia, et parum expectandum esset tam de reconciliatione, quam de perduratione Ecclesiae.

(1) Vid. in Archivis Harl.

IV.

NAPOLEONTIS Imperatoris dominium parum immutavit *Trajectinorum* conditionem (1). NAPOLEON ipse nequaquam *Trajectinorum* erat adversarius, uti facile colligi potest ex illius indole, qui aversabatur ab Ultramontanismi principiis, quae omnium fere calamitatum et turbarum inter gentes causam esse aestimabat. In colloquio *Roterodami* propterea Capituli metropolitani agnovit etiam existentiam; — atque semper Cleri *Trajectini* delegatos benevole excepit. Imperator vero reconciliationem in mente habebat *Trajectinos* inter et *Missionarios*, atque novam rerum Catholicarum *Belgicarum* divisionem, ita ut Capitulo metropolitano veniam haud daret Episcopos sibi eligendi. *Roterodami* in colloquio, intra sex mensium spatium, pacem restitutum iri promisit.

Ad novam conficiendam rerum Catholicarum *Belgicarum* constitutionem, a. 1812, legis exemplum comparatum est, quo proponebatur ut parochiae *Trajectinorum* cum parochiis *Missionariorum*, magna pro parte, conjungerentur, et NAPOLEON ipse sibi Episcopos eligendi reservabat potestatem. Ita procul dubio Clerum *Trajectinum* mox deletum iri patebat. WILLIBRORDUS VAN OS, cum archipresbytero CRAMER, Missioni adscripto, et praeside LE BAVAN, electi sunt ut de illo

(1) De *Trajectinorum* sub illo Imperatore conditione cons: annotationes in libello: *Dichtmatige levensschets van W. VAN OS, door J. H. VAN DEN PELS*. Archi-episcopum VAN OS VERO, nemo certe fortunatum appellabit propter talem, qualem invenit virtutum praeconeum.

legis exemplo iudicium suum enuntiant. VAN OS strenue sese tali opposuit agendi rationi. In *Observationibus* suis et *Considerationibus* (1), haecce imprimis *objecit*: 1^o. nova parochiarum divisio facta erat a Commissario politico, quamvis non ad illum, sed ad Episcopum pertineret; 2^o. nomen Jansenistarum adhibitum erat, a quo vero abhorrebant *Trajectini*, ne secta quaedam esse viderentur; 3^o. Episcopus non ab alio quam a Clero Trajectino eligi posset, nisi Ecclesiae Trajectinae legibus violatis; qua conditione neglecta, Episcopus novus facile Veterem Ecclesiam Traj., tamquam schismaticam vel haeticam tractaret; 4^o. imminuto pastorum, Capitulo metropol. addictorum, numero, pedetentim Clerus deleteretur Trajectinus.

Rerum publicarum vero momentum prohibuit, ne multum procederet rerum ecclesiasticarum cura. A^o. 1813 s. WALLAERT Vicarius *Harlemensis*, scripsit (2), sese *Harlemi* colloquium habuisse cum Imperatore NAPOLEONTE, ex quo conjiceret nullum amplius de nova parochiarum divisione esse sermonem, atque verosimiliter *electionem Episcopalem* eadem restitutum iri conditione, qua fuerat inde ab a^o. 1528 usque ad a^o. 1648, ita nempe, ut *electio* perficeretur a Capitulo, postquam Imperator quemdam *nominasset*. Mox tamen NAPOLEONTIS

(1) In illis *Observationibus* et *Considerationibus*, d. 10 et d. 12 m. Jun. 1812, simul VAN OS agit de quaestionibus, quas Imperator solvendas illi proposuerat: 1^o. quot Episcopi eligendi essent in patria nostra, 2^o. quot Seminaria condenda viderentur, et 3^o. num theologi Rom.-Catholici in Universitatibus, eodem modo quo Aetholici juvenes, instituendi et ad gradus Academicos admittendi essent.

(2) In epistola ad J. H. VAN DEN PELS, pastorem in pago *Crommenie*.

decrevit potestas, ita ut prorsus idem remaneret Ecclesiae Trajectinae status.

V.

Summo cum gaudio *Trajectini* GUILIELMO I dominum de patria nostra concedi animadverterunt. Statim ad Episcopos jam eligendos transeundum duxerunt. W. VAN OS ad Sedem *Trajectinam* electus est, qui ab Episcopo *Daventriensi*, d. 24 m. Ap. 1814, consecratus, d. 7 m. Sept. eodem anno, more solito a PIO Papa VII excommunicatus est (1). Regis vero GUILIELMI Administris *Trajectinos* electione illa Regni violasse leges aestimarunt, quapropter Administer Regius ROËLL, d. 17 m. Maj. 1814, ad Capitulum *Trajectinum* epistolam conscripsit, qua Aulam Regiam aegre ferre consecrationem, peractam sine Supremorum Moderatorum consensu, indicaret, — ita vero ut videretur Regem, dummodo rogaret Clerus, ad electiones Episcopales veniam daturum esse. Capitulum metropolitani igitur tutius duxit, antequam ad eligendum transiret *Harlemensem*, consensum rogare Regium. Tunc vero admodum molestum erat Administris Regiis publice comprobare electionem Episcopalem. Rex enim GUILIELMUS Concordiam publicam parare studebat cum Sede Apostolica, et mox Nobill. REINHOLT, summa potestate ornatum, *Romam* propterea misit. Mox patuit Pontificem, tamquam Concordiae principium, postulare, ut ordo hierarchicus, a^o. 1559 comparatus, prorsus eversus ac deletus diserte diceretur. Aula Regia facile

(1) A^o. demum 1822 excommunicatio Clero innotuit.

illud agnovisset, — sed Ecclesiae Trajectinae existentia ex illa pendebat, uti omnes videbant, declaratione, quia *Trajectini* ordinis hierarchici, haud eversi, propugnatores erant. Administri Regii propterea diu cunctabantur, et procul dubio sperabant ut subita mors duorum Episcoporum senum reapse Clero Trajectino pararet interitum. Talis Administrorum Regiorum conditio, in *Trajectinorum* explicandis fati, inde ab a^o. 1814 usque ad 1853, tenenda est: prorsus resistere *Trajectinis* nolebant, neque vero omnia illis concedere, quae rogabant, ne vel Pontificem offenderent, vel Missionarios.

Capitulum metropolitanum non ita ut exspectari licuerat, veniam accepit Episcopum eligendi *Harlemensem*. Cunctabantur Administri Regii, rem deferentes per quinque annorum spatium. Tandem vero *Trajectini* amplius morari recusabant, et Administer Regius Sacrorum illis scripsit, faciendum esse id quod rerum postularet conditio. JOANNES BONUS igitur electus est, et d. 25 m. Ap. 1819 consecratus ab Archi-episcopo. Notatu dignum est, illum BONUM a Pontifice non esse excommunicatum, uti videtur Cardinalis GONZALVII ope, ne novum existeret, excommunicatione emissa, impedimentum ne Concordia cum Aula Regia *Belgica* constitueretur, qua simul forte schisma tolli posset. Quidquid est, BONUS ille solus, inter omnes quos inde ab a^o. 1723 sibi elegit Capitulum metropolitanum *Trajectinum* Episcopos, numquam excommunicatus est.

Interea pugna exstitit litteraria pastores inter Missionarios, BRAMER ac WENNEKENDONK, et pastorem Clero Trajectino addictum BUIJS, qui postea Seminarii *Amisfurtani* electus est Praeses, quae Clero multorum

in patria nostra comparavit attentionem, quae ultimis decenniis admodum decreverat. Praeter Archi-episcopos *Ratisbonensem* (Regensburg), et *Tarentinum* (Tarente), multi *secundi ordinis* Ecclesiastici adhaesionem suam *Trajectinis* manifestarunt.

Clerus Trajectinus, etsi sub Regis GUILIELMI dominio justam foveret, de defendenda sua existentia, spem, ad pacem nihilominus proclivis erat. Quum igitur a^o. 1823 NAZALLIUS, Archi-episcopus *Cyrensis* (Cyr), *Hagancomitis* veniret, litteris munitus, qua plenam illi concederet postestatem Pontifex, ad Concordiam pangendam Aulas inter *Papalem* et *Belgicam*, Archi-episcopus VAN OS, cum Episcopis *Harlemensi* et *Daventriensi*, et nonnullis ex Clero deputatis, NAZALLIUM adire voluerunt, ut 1^o. documentum darent pietatis erga Sedem Apostolicam, et 2^o. de pace agerent restituenda Pontificem inter et *Trajectinos*. Legati illi colloquio Regem adierunt GUILIELMUM, Praesidem Cultus Rom.-Catholici GOUBEAU, Emin. REINHOLD, qui legatus fuerat *Belgicus* apud Aulam *Papalem*, et Em. NAGEL, Administrum Regium Rerum externarum. NAZALLIUS tamen colloquium illis concedere recusavit, nisi antea coeca promitteretur obedientia erga *Constitutionem Unigenitus*, et *formulam ALEXANDRI*. Colloquium quod duo *Cleri Harlemensis* delegati cum BELLIO, NAZALLII graphiario, habuerunt, satis ostendit Pontificem ab illa coeca obedientia postulanda haud recessurum esse. W. VAN OS LEONEM Papam XII, quum ad thronum eligeretur papalem, litteris adiit gratulatoriis, et rogavit ut Nuntio Apostolico potestas traderetur de reconciliatione agendi. Legatio vero Pontificis Concordiam cum Aula *Belgica* constituere non potuit, —

atque omnes etiam reconciliationis conatus irriti cesserunt.

VI.

D. 9 m. Jul. 1824, Episcopus *Daventriensis* DE JONG diem supremum obiit, uti et d. 28 m. Febr. 1825 Archiepiscopus VAN OS. Administrum Regii *Belgici* jam non amplius electionibus Episcopalibus resistendum ducebant (1), atque sibi invenisse videbantur agendi rationem, qua nec Cleri Trajectini sese opponerent justis precibus, nec publice agnoscerent, ordinem hierarchicum, a^o. 1559 constitutum, non esse eversum. Tam *Trajectinis* igitur quam *Missionariis* se satisfacere posse aestimabant.

Capitulum metropolitanum GUILIELMUM VET ad Sedem elegerat *Daventriensem*, atque quum audiret satis jam benevolam esse Administrorum Regionum mentem, d. 2 m. Mart. 1825, Regem GUILIELMUM rogavit, ut *publice* agnoscerentur et Episcopus *Harlemensis* et Episcopus *Daventriensis*, atque facultas concederetur Archiepiscopum *Ultrajectinum* eligendi.

D. 8 m. Maj. responsum datum est, *publice* agnosci Episcopum *Harlemi* (2), et *Daventriae* (3), et Archiepiscopum eligi posse *Ultrajecti*. Procul dubio respon-

(1) Vid. J. H. DE VRIES. I. I. p. 108.

(2) Belg: *te Haarlem, te Deventer, te Utrecht*, — non, *van Haarlem, van Deventer, van Utrecht*, DE VRIES p. 110. sqq.

(3) VET, pastor erat *Hagae* non *Daventriae*. — Episcopi *Harl.* et *Daventr.* post consecrationem semper pastores remanserunt illarum parochiarum, ubi ante electionem fuerant. Archiepiscopi *Ultrajecti* habitaverunt, — praeter VAN DER CROON, qui *Goudae* remansit pastor, et VAN OS, qui praeses remansit Seminarii *Anisfurtani*.

sum illud non dedit quod rogaverant *Trajectini*, quia *loci* quidem indicarentur, ubi degere possent *Episcopi*, nulla vero erat *agnitio publica* nec *jurisdictionis* nec *diocesaeos*. Admodum nonnullis inter *Trajectinos* illud displicebat responsum, ita ut de oppositione etiam adversus talem agendi rationem cogitarent, — sed P. VAN GERT, id temporis Administrum Regii Sacrorum *Hagaecomitis* grapharius, fraudulenta ratione *Trajectinos* ab illa oppositione abhortatus est, dicens Regem nequaquam in mente habuisse, aliud quam rogaverant concedere, — ita ut ne suspicio quidem movenda esset, *Trajectinos* tale improbare responsum. Et reapse, postquam d. 12 m. Jun. 1825 *Episcopus Daventriensis* VET, et d. 13 m. Nov. eodem anno, JOANNES VAN SANTEN Archiepiscopus consecrati erant, jusjurandum praestiterunt *Hagaecomitis* in solenni colloquio *Episcopi*, ita acsi publice agniti fuissent cum *jurisdictione* sua ⁽¹⁾. Primo igitur tempore *Trajectini* jam *publica* sese tali gaudere aestimabant *comprobatione*, qualem rogaverant.

Clerus *Trajectinus* jam opus esse aestimabat nova defensione publica, qua ostenderet sese iisdem, quibus antea, principiis ductum ⁽²⁾, justam defendere et legitimam causam. Benevolentia imprimis, qua, in hacce edenda et divulganda apologia, gavisa est a parte

(1) Vid. diarium: *Nederl. Stadscurant*, d. 2 m. Dec. 1825, ubi *Episcopi* dicuntur: *Ultrajectinus* (van Utrecht), *Harlemensis* (van Haarlem) et *Daventriensis* (van Doventer).

(2) Vid. tamquam documentum haud immutatae *Trajectinorum* sententiae, libellus, cui titulus: *Kleine Katechismus, of kort begrip der geschillen onder de Katholicken in Holland, op bevel der Hoog Eerw. Heeren Aartsbisschop van Utrecht, en Bisschoppen van Haarlem en Denevier, uitgegeven, a^o. 1820.*

Administrorum Regionum *Belgicorum*, procul dubio pro documento haberi poterat *publicae* comprobationis. Faventibus enim et opitulantibus illis Administris, in lucem ediderunt, et ad praecipuos ceteros Episcopos miserunt *declarationem* (1), qua enarraverunt suam, ad reconciliationem perpetrandam, agendi rationem, et indicaverunt sese haud posse subscribere nec *formulae ALEXANDRI* nec *Constitutioni Unigenitus*. Propter illas etiam, quas LEO Papa XII enuntiaverat excommunicationes adversus Archi-episcopum et Episcopum *Daven- triensem*, solemniter ad Concilium appellarunt futurum generale.

A^o. 1827 Concordia constituta est Aulas inter *Papalem* et *Belgicam*, qua revera ordinem eversum esse hierarchicum a^o. 1559 introductum, constitueretur. Nisi igitur rerum publicarum a^o. 1830 et 1831 immutatio Concordiam illam quoad *Nederlandiam* nullam reddidisset, — Concordia illa in futurum publice causam damnasset *Trajectinorum*.

Verumtamen Clerus *Trajectinus*, etsi infelici jam opprimeretur fortuna, ab altera tamen parte documentum accepit, non ita pravam aestimari suam agendi rationem. Non tantum enim DALBERGIUS, *Germaniae* Primas, Archi-episcopus *Salisburgensis*, communionem suam in divinis enuntiavit, — verum etiam ipsi *Romae* Cardinales ostenderunt, nec Jansenismi accusationem, nec societatem cum *Trajectinis* impedimentum esse, ne quis Episcopali fungatur dignitate. JOANNEM BONUM

(1) Vid. J. H. DE VRIES l. l. p. 125, sqq. Illius *declarationis* 300 exemplaria Administro Regio rerum internarum tradita sunt, qui illa Episcopis extraneis dari curaret. Non vero patet illa reapse Episcopis extraneis tradita esse.

enim, Episcopum *Harlemensem*, ad Sedem promovere *Brugensem* in mente habebant, vel ut ita benevolentiae documentum erga Regem GUILIELMUM praestaretur, vel quia Pontifex numquam illum excommunicaverat. Quidquid est, de illa electione cogitarunt, atque nequaquam causae fuerunt, cum *doctrina* cohaerentes, quae illud prohibuerint consilium. Unus etiam inter Cardinales, ad *Harlemensis* alludens nomen, dixit: » Dominus BONUS non potest esse malus pastor ⁽¹⁾ » — ita ut illud consilium aperte doceat, nec A catholicos nec haereticos nec schismaticos a Cardinalibus aestimari *Trajectinos*.

Nihilominus *Clerus* haud intermisit reconciliationis conatus. A^o. 1828 quum CAPUCINIUS, Nuntius Apostolicus in patria nostra degeret, cum illo egit Archiepiscopus VAN SANTEN, sed quoniam coecam rogabat obedientiam Nuntius, quam pie praestare non posset VAN SANTEN, frustra de reconciliatione sermo fuit.

D. 25 m. Jun. 1841, JOANNES BONUS, Episcopus *Harlemensis* diem supremum obiit. Frustra *Trajectini* ter veniam rogarunt successorem eligendi. Modo ad Regem ipsum, modo ad Administrum Regium DE PELICHY dimittebantur. Post duorum vero annorum spatium Archi-episcopus, non amplius morandum esse ducens, HENRICUM JOANNEM VAN BUUL, quem Episcopum *Harlemensem* elegerat Capitulum metropolitanum, consecravit, d. 10 m. Maj. 1843, quem vero d. 4 m. Sept. GREGORIUS XVI excommunicavit. Ipso conse-

(1) Vid. *Schets eener geschiedenis van de biss. Klerczy*, a^o. 1853. p. 13.

(2) Vid. de colloquio Archi-episcopum inter et Nuntium, diarium: *Jaarboeken van Wetenschap. Theologie*, a^o. 1851. Dl. IX. p. 750—767.

erationis die, nuntius hac de re ad Aulam Regiam dimissus est; — DE PELICHY vero aegre tulit consecrationem, et, d. 27 m. Maj., Regem etiam illam improbare monuit. Per quatuor fere annos Administri Regii *Harlemensem* comprobare, vel ullum cum eo commercium habere eodem, quo cum antecessore modo, recusabant. Quando igitur Administer Regius Sacrorum aliquid communicandum haberet cum pastoribus in dioecesi *Harlemensi*, causa *Trajectinae* addictis (1), Archiepiscopo cura mandabatur pastores illos hac de re certiores faciendi; et quum ille recusaret ita sese jurisdictioni immiscere Episcopi *Harlemensis*, per Magistratus civiles res illis denuntiabantur.

D. vero 19 m. Jun. 1845, in Ordinum Generalium Coetu Inferiore, quum ageretur de sumtibus quos Administer sacrorum VAN SON in Catholicorum sacra rogaverat, Nob. VAN GOLTSTEIN illam improbavit erga *Clerum Trajectinum* agendi rationem (2). Cum eo Nob. DEN TEX, BRUCE et THORBECKE, Ordinum Generalium Coetui Inferiori adscripti se conjunxerunt, monentes *Ecclesiam Trajectinam* coram Magistratibus societatem esse Ecclesiasticam, publice et legitime comprobatam, — ita ut injuste comprobatio publica Episcopo *Harlemensi* abnegaretur, quum ex illa comprobatione illius Ecclesiae penderet existentia. Parum vero *Trajectinis* profuit illud colloquium.

Clerus *Trajectinus* autem probe jam perspexit quam infausta esset illa, quae a^o. 1825 facta erat,

(1) Sic a^o. 1844 de celebranda victoria apud pagum *Waterloo*, a. 1815, d. 18 m. Jun. reportata.

(2) Vid. *de Regering en de Kleresz.* Amst. Diedrichs, a^o. 1845; — *Diarium: Nederl. Staatscourant*, a^o. 1845, 24 Junij, — *Bijv.* 1.

titulorum Episcopatum immutatio. A^o. igitur 1847 Ordinum Generalium Inferiorem Coetum rogarunt *Trajectini* ut Episcopis tituli publice concederentur, jurisdictionem diserte indicantes ⁽¹⁾. Mox patebat, multos Ordinum Generalium Inferiori Coetui adscriptos *Trajectinis* favere. D. enim 3 et 4 m. Aug. 1847, quum de Clero Trajectino in illo Coetu ageretur, non tantum factum est, ut H. J. VAN BUUL, eodem modo, quo inde ab a^o. 1825 usque ad 1843, publice comprobaretur ⁽²⁾, atque illi, tamquam Episcopo *Harlemi*, stipendium concederetur annuum, sed Nob. VAN GOLTSTEIN, CORVER HOOFT, DE KEMPENAER et VAN LEEUWEN, ita de Clero Trajectino locuti sunt, ut conjici posset ex illorum opinione talem probationem publicam non sufficere ⁽³⁾. Rerum vero publicarum decursus impedivit quominus annis jam subsequentibus de tali probatione ageretur.

VII.

D. 7 m. Mart. 1853 GUILIELMUS VET, Episcopus *Daventriensis* diem supremum obiit, eodem die quo allocutio rni Papae IX Instaurationem annuntiaret ordinis hierarchici in patria nostra, quam Pontifex brevi suo, *ex qua die*, d. 4 m. Mart. dato, constituerat. Admodum illa Instauratione Ecclesiae nocuit Tra-

(1) Bisschop van Utrecht, van Haarlem, van Deventer.

(2) Bisschop te Haarlem.

(3) Vid. diarium: *Nederl. Staatscourant*, a^o. 1847, 4 Sept. bijvoegs. 17, 18.

jectinae. Omnis enim jam evanuit reconciliationis cum Sede Apostolica spes. Instauratio aperte docebat Pontificem pro nullo habere Clerum Trajectinum. Duo jam, propter illam instaurationem Episcopi essent et in dioecesi *Trajectina*, et in dioecesi *Harlemensi*, quorum alter pro vero et legitimo, alter pro illegitimo et seditioso habendus esset. Pontifex procul dubio illum non illegitimum et seditiosum appellaret Episcopum, quem ipse, secundum Instaurationem a^o. 1853 factam, constituerat, ita ut nullus in futurum reconciliationis conatus suscipi posset, nisi Clerus Trajectinus sui ipsius damnans causam, Episcopos suos nullos diceret et rebelles.

Perspexerunt vero *Trajectini* quantum jam immineret periculum, quando Administri Regii publice comprobarent Episcopos, quos PIUS Papa IX elegerat, atque illis jurisdictionem adscriberent, — non vero Episcopos, Veteri Ecclesiae Trajectinae addictos, ita tractaret. Propterea Episcopi VAN SANTEN et VAN BUUL, d. 14 m. Ap. 1853, Regem GUILIELMUM III rogarunt: ut 1^o. approbatio publica recusaretur Instaurationis ordinis hierarchici, a PIO Papa IX factae, quippe ad Veteris Ecclesiae Trajectinae, Societatis Ecclesiasticae publice agnitae, adducens eversionem, et 2^o. ut publice Archi-episcopus *Trajectinus*, et Episcopi *Harlemensis* ac *Daventriensis* comprobarentur, iisque jurisdictio illarum dioecesium adscriberetur.

Rex vero utrique parti idem concedendum duxit, ita ut et Episcopi, quos constituerat PIUS, comprobarentur publice, et d. 21 m. Sept. 1853 HERMANUS HEYKAMP, pastor *Roterodamensis*, d. 17 m. Jul. consecratus, tamquam Episcopus *Daventriensis*, et d. 3 m.

Dec. eodem anno, VAN SANTEN, tamquam Archi-episcopus *Ultrajectinus*, ac VAN BUUL tamquam Episcopus *Harlemensis* (1). A parte igitur Magistratum Ecclesiae Trajectinae potestas concessa est, sibi providendi.

Adversus Pontificem *Trajectini* alte clamabant injustam esse Instaurationem a^o. 1853 factam. D. enim 10 m. Aug. Archi-episcopus VAN SANTEN et Episcopus *Harlemensis* VAN BUUL epistolam (2) dederunt ad RIUM Papam IX, qua ostenderunt falsam esse omnem expositionem historicam, quam Pontifex suo inseruerat brevi apostolico. Premebant nequaquam impetum internum, sed externum, splendorem imminuisse Ecclesiae Cath. *Belgicae*, — quam vero non *eversam* esse ostendebant. Protestatio illa luculentissimum exhibet documentum, Clerum *Trajectinum* non recessisse ab antecessorum agendi ratione.

Neque minus illud indicarunt Episcopi Veteris Cleri Episcopalis, quum d. 8 m. Dec. 1854 Pontifex *Romae* dogma constituisset de *MARIA Virgine sine labe concepta*. D. enim 9 m. Jul. 1856 Archi-episcopus VAN SANTEN et Episcopi *Harlemensis* VAN BUUL, et *Daventriensis* HEYKAMP *instructionem* dederunt *pastoralem* de illo dogmate, (3) in qua vicissim in quinque principia inquirunt, quibus se adductum esse dixerat Pontifex, ad illud constituendum dogma. Probarunt frustra RIUM provocasse, 1^o. ad S. Scripturam, 2^o. ad traditionem, 3^o. ad constantem Ecclesiae doctrinam, 4^o.

(1) *Van Deventer, van Utrecht, van Haarlem.*

(2) Typis data est a^o. 1853.

(3) Typis data, a^o. 1856.

ad consensum pastorum et laicorum Catholicorum 5^o. ad Pontificum acta et constitutiones. Ostenderunt dogma illud originem suam debere JOANNI DUNS SCOTO, saec. XIV, atque *Franciscanos* quidem et *Jesuitas* semper illud propugnasse, multis vero resistentibus Catholicis. Indicarunt dogma ne canonico quidem modo esse constitutum, quia 196 Episcopi, qui a^o. 1854 *Romae* convenerant, ibi non fuerant ut de illo dogmate judicium suum enuntiarent, sed unice, ut dogmatis constituti jubilaei adaugerent splendorem. Testimonia deinde adduxerunt celeberrimorum Praelatorum huic dogmati opposita, inter quos LEONEM MAGNUM, GREGORIUM MAGNUM, INNOCENTIUM III, INNOCENTIUM V, et CLEMENTEM VI nominasse sat est. Dogma igitur *novum* erat, non congruens cum principio: *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus*; — et quum secundum doctrinam Rom.-Catholicam non licet *nova* constituere dogmata, — Episcopi Veteris Ecclesiae Trajectinae dogma illud documentum apertum appellarunt *fallibilitatis papalis*, quod, si ab omnibus reciperetur tamquam dogma Ecclesiasticum, omnem everteret *immutabilitatem* et *infallibilitatem* Ecclesiae Rom.-Catholicae.

Oppositio illa et adversus Instaurationem ordinis hierarchici et adversus Immaculatae Conceptionis dogma, permultos Ecclesiae Trajectinae comparavit amicos. Prudentia vero monet, nomina non indicare eorum qui, adhuc vivi, adhaesionem suam et communionem in divinis enuntiarunt.

VIII.

Proximis duobus annis pauca acciderunt, quae Ecclesiae Trajectinae immutaverint conditionem. D. 3 m. Jun. 1858 Archi-episcopus VAN SANTEN senex diem supremum obiit. D. 21 m. Sept. 1858 HENRICUS LOOS illius consecratus est successor, d. 4 m. Oct. ad Summum Pontificem epistolam dedit ⁽¹⁾, postquam d. 18 m. Aug. eodem quo antecessores modo, confirmationem rogaverat papalem, et PII Papae IV demiserat confessionem fidei. D. vero 21 m. Oct., haud inopinate, Pontifex excommunicationem adversus Archi-episcopum enuntiavit, quae diariis publicis et excommunicato ipsi et caeteris innotuit Catholicis *Belgicis*.

Nostris adhuc diebus 5000 fere sunt, qui Clero Trajectino addicti, vulgo Jansenistae appellantur; postremis vero annis paullulum increvit eorum numerus. 25 parochiae jam Archi-episcopi HENRICI LOOS agnoscunt jurisdictionem, quarum 16 ad dioecesin *Trajectinam* ⁽²⁾ et 9 ad dioecesin *Harlemensem* ⁽³⁾ per-

⁽¹⁾ Epistola illa Latino et Gallico sermone typis data est in diario: *Observateur Catholique*, Kal. Ap. 1859. H. LOOS, hisce adhuc diebus munere fungitur Pastoris *Ultrajecti*, parochiae quae dicitur: *achter Klarenburg*.

⁽²⁾ 3 parochiae *Ultrajecti*, 1 *Amisfurti*, 1 in pago *Hilversum*, 1 *Iugduni Batavorum*, 1 *Hogaecomitis*, 1 *Delphis*, 2 *Roterodami*, 1 *Dordraci*, 1 in urbe *Schiedam*, 1 in urbe *Schoonhoven*, 1 in urbe *Kuilenburg*, 1 in urbe *Oudewater* et 1 in insula *Nordstrand*, quae ad ducatum *Silesiam* (*Sleeswijk*) pertinet.

⁽³⁾ 1 *Harlemi*, 2 *Amstelodami*, 1 in urbe *Zaandam*, 1 in pago *Aalsmeer*, 1 in pago *Krommenie*, 1 in pagis qui dicuntur *Egmond*, 1 in urbe *den Helder* (et *Huisduinen*), 1 in urbe *Enkhuizen*.

tinent. Inter illas parochias una est extra patriae nostrae fines, in insula *Nordstrand* (1).

Seminarium *Amisfurtanum*, ubi tam humaniora in Collegio *minori*, quam theologiam et philosophiam in Collegio *majori* docentur juvenes (2), iisdem principiis imbuere sacerdotes, Veteri Clero Episcopali addictos, haud desinit.

Quid jam in futurum expectandum sit de Clero Trajectino difficile est dijudicatu. Verosimiliter sese defendere perget, constanter et strenue. Reconciliationis cum Sede Apostolica spem vix alere audet.

Eadem igitur, ut videtur, qua nunc, conditione diu manebit Ecclesia Trajectina, suam propugnans Catholicitatem, omnem damnans schismatismum, Ecclesiam Rom-Catholicam unicam existimans salutis aeternae viam. Pontifices illam excommunicare, multi probi piique Catholici extranei illi adhaerere haud intermittent. Quamdiu existet, injustitiae papalis erit documen-

(1) Ut Jesuitarum aufugerent insidias nonnulli Rom-Catholici saec. XVII, ad Archi-dioecesin pertinentes *Trajectinam*, refugium ibi invenerunt. Certe inde ab a^o. 1681 parochia illa ad Archi-episcopi *Ultrajectini* pertinet jurisdictionem. Nuntius Apostolicus *Coloniensis*, a^o. 1687 illud agnovit, acque ac a^o. 1704 Jesuita *MOY*, qui dispensationem in illa parochia ab Episcopo *Trajectino* accipiendam esse diceret. (*Rec. de div. t^{em}*). Pedetentim numerus eorum, qui in illa parochia jurisdictionem Archi-episcopi *Trajectini* agnoscerent, decrevit. Ecclesia vero parochialis a Cleri *Trajectini* haud defecit causa. Inde ab a^o. 1825 unus pastor, ab Archi-episcopo *Trajectino* missus, illius parochiae, quae 30 fere constat Rom-Catholicis, curam gerit. Vid. libellus: *Die Katholische Gemeinde auf Nordstrand und der Jansenismus*, a^o. 1855. Schleswig und Flensburg.

(2) Vid. supra, p. 113 not. 1.

tum. Jesuitismi victima, — Augustinianismi et Gallicanismi focus, libertatis studii *Bataworum* monumentum.

Gravia jam perpressus est Clerus Trajectinus, nec felicem conatum exitum mox adstare credit, — fidem vero suam reponit in Deo et CHRISTO. Providae Dei curae et laudat documenta et precatur. Sanctam suam esse causam aestimat, cujus propterea, post multa saecula, exspectat triumphum, quando ISRAEL omnis ad CHRISTUM adductus erit, et novo ardore vigebit Ecclesia Rom-Catholica, justitiae nixa ac veritatis fundamento.



APPENDIX.

INDEX PRAECIPUORUM LIBRORUM,

QUOS INDE AB A^o. MOCCHII,

CLERUS TRAJECTINUS

EDIDIT, AD SUAM DEFENDENDAM CAUSAM (').



1702. *Apologia pro Clero Eccl. Bat. R.-C., s. rationes ob quas Clerus censuit in locum Rev. Arch. Sebasteni non illico esse recipiendum Cockium.*
1703. *Motivum juris pro Cap. Hart.* (Vid. sup. p. 64.)
1703. *Refutatio resp. ad Motivum.* (Ibid.)
1703. *Assertio juris Eccl. Metr. Ultr. R.-G.* (Ibid.)
1704. *Avis sincères aux Cath. des Prov.-Unies.* (QUESNEL.)

(') Plerique Indicem secuti, op: *Rec. de div. tém.* insertum, libros illos dividunt in tales, qui agant: 1^o. de CODDARO et ejus Clero, 2^o. de juribus Capituli, et 3^o. de Archi-episcopis et illorum Suffraganeis, inde ab a^o. 1724. In optimis vero Cleri Traj. scriptis, ita historia conjungitur cum defensione et Capituli et Episcoporum, ut talis librorum divisio institui nequeat. Mihi igitur ordo praeplacuit chronologicus, quem BROEDERSEN a^o. 1763 secutus est in *App. ad Tract. IV.* Universe monendum, plerosque Cleri libros saepius typis esse datos. Multa alia omisi scripta in Indice, iis quae laudavi, postponenda.

1705. *Causa Coddæana.* (Collectio documentorum de CODDÆO Romæ degente, suspenso, caet. Inest etiam refutatio libelli quem a^o. 1697 edidit DOUCIN, quam Gallice vertit QUESNEL). (Vid. s. p. 55).
1706. *Velitatio theol. an Decanus et Canon. Harl. merito argui possint jura sui Capituli ignaviter abjecisse.*
1707. *Declarat. apolog. p. CODDÆI.* (Gall. etiam vers. Vid. s. p. 74).
1707. *Divers abus et nullités du décret de Rome, du 4 Oct. 1707.* (QUESNEL).
1707. *Redenen, door welke A. Daemen de gunst der H. E. Commiss. van H. E. Gr. Mog. en zijne admissie zoekt te verwerven.*
1709. *Cleri R.-C. praecep. in Holl. Austr. civitatum protestatio.* (Vid. s. p. 70).
1709. *3 Epist. histor. de Bussii agendi ratione.*
1710. *Protestatio... asserta.* (Vid. s. p. 106).
1711. *Justification de la Mémoire de P. Codde.* (Versio fore libri: *Defensio piae memoriae Ill. ac. Rev. Dom. P. Codde.* (PETHEPIED).
1712. *Protestatio... denuo asserta.* (Vid. s. p. 106).
1714. *Protestatio... tertium asserta.* (Ibid.)
1714. *Batavia Sacra.* (Vid. s. p. 51).
1716. *Mémoire pour l'Eglise et le Clergé d'Utrecht.* (BOULENOIS).
1717. *Defensio Arch. Sebasteni et Eccles., quae apud Batavos est Cath.* (ERCKELIUS).
1719. *Hist. Episcop. Foederati Belgii.* (Vid. s. p. 51).
1719. *Instrument. appellationis ad fut. gen. Concilium.* (Vid. s. p. 95).
1720. *Justification du droit des Chapitres de l'Eglise Cath. des Prov.-Unies.* (QUESNEL).
1723. *Samenspraak tusschen P. Reythart en J. Waermond.* (Vid. s. p. 96).
1724. *Korte onderrigtinge... wegens de Kerk van Utrecht.*
1724. *Causa Eccl. Ultr.* (Collectio docum., Belg. etiam versa.

- Insunt i. a. *Consultatio*, quam Doct. Lov. d. 12 m. Dec. dederunt, et *Dissert. de misero statu Eccl. Ultr., mediisque quibus illi succurrendum est*).
1724. (Première) *apologie de l'Ev. de Babylone, contenant son appel au conc. général... et sa plainte à l'Eglise Cath.* (Vid. s. p. 94).
1725. *Second mémoire pour l'Eglise Clergé d'Utrecht.* (BOUL.).
1725. *Responsio epist. Z. B. Espenii de numero Episc. ad validam ordinationem.* (Vid. s. p. 108)
- 1725 et 1726. 5 *Epist. Presbyteri Traj. de consecratione Arch. Traj.* (Ibid.)
- 1725—1728. W. KEMP. *Kort hist. verhael van 't gene de Kerke van Utrecht wedervaren is.* (9 lib. 3 tom).
1727. *Vind. resol. Doct. Lov. de subsistentia Eccl. Ultr. ejusque Episcopis et Capitulo* (Vid. s. p. 109).
1727. *Seconde apologie de l'Ev. de Bab.* (Ibid.)
1728. *Defensio Eccl. Ultraj. ea Episcoporum diplomatibus, caet. deducta, contra fictiones Dom. Hoyinck.* (Ibid.)
1728. *Causa Eccl. Harl.* (Vid. s. p. 118, not. 1).
1729. *Tract. Hist. I de Capitulo Cathed. Eccl. Ultr. caet.* (Vid. s. p. 109).
1730. *Considerationes ad VI Epistolas D. Hoyinck.* (5 priores ab ERGELIO, 6^a. ab VERHULSTIO data).
1737. *Acta quaedam Eccl. Ultr. . . . in defensionem . . . Arch. (van der Croon) et Capituli.* (p. 117 not. 3).
1741. *De drie hoofdgeschillen tusschen de R.-Kath. 1^o. wegens het form. van Jans.; 2^o. de bul Unigenitus; 3^o. het aartsb. Utrecht, opgehelderd in 22 brieven, door Vlaming.* (Vid. s. p. 108, not. 2).
1745. *Lettre d'un prêtre français, réfugié en Hollande, par L. PARIS-VAQUIER.*
1763. *Tract. Hist. II, quo probatur, Capitulo Cath. Eccl. Ultr. competere jus eligendi Episcopos suos.* (BROEDERSEN).
1763. *Tract. Hist. III, quo efficitur, Eccl. Ultr. hucusque per proprios suos Archi-ep. rectam fuisse.* (Idem.)

1763. *Tract. Hist. IV. Perseverantia Ecclesiae Ultr. atque jurisdictionis ordinariae et ordinis hier. (Idem).*
1763. *Tract. Hist. V. Quid in Eccl. Metr. Ultr. egerint Loyolistaе. (Idem).*
1763. *Recueil de divers témoignages de plusieurs Cardinaux, Archevêques etc. en faveur du Clergé et des Chapitres, Archevêques et Evêques dans l'Egl. Cath. des Prov.-Unies. (Vid. s. p. 155, not. 1).*
1764. *Acta et decreta Synodi Cleri R.-C. provinciae Ultr. (Vid. s. p. 157).*
1765. DUPAC DE BELLEGARDE. *Histoire abrégée de l'Eglise Metr. d'Utr. (2^o. ed. a^o. 1770, 3^a. ed. a^o. 1852 data, usque ad a^o. 1784 Eccl. Ultr. fata exponit).*
1767. *Epist. Episc. et Cleri . . . ad Clementem XIII occasione declarat: »Non sine acerbo." (Vid. s. p. 145).*
1769. *Nouveaux témoignages. (Vid. s. p. 141. not. 1).*
1774. *Lettre de l'Archev. d'Utr. etc. à l'Archev. de Toulouse. (Vid. s. p. 146).*
1798. *Vredelievende gedagten over 't verkiezen van een Bisshop. (W. VAN OS).*
1804. *Antwoord aan den Heer T. de Vos. (Vid. s. p. 155).*
1819. *Minzame brieven aan J. Bramer, over eene aanmerk. misvatting in zijn 2^o stuk tegen J. Scholten, door P. Vindeæ. (BUYS).*
1822. *Proeve van antwoord op de prijsvraag der R.-K. Maatsch.: »de geschiedenis der Jansenisten," enz. (Idem).*
1822. *Briefwisseling tusschen J. G. le Sage ten Broek en Vindeæ. Id.*
1723. *Korte aanmerkingen aan Le Sage ten Broek. Id.*
1824. *Noodige Bijlagen tot het werk van Bramer over het Jansenisme. (Idem).*
1826. *Declaratio a S. Rev. et Ill. Archiep. Rhenotraj. caet. facta . . . cum ad purgandam rationem quam secuti sunt, tum ad publicam sui defensionem, adv. excomm. . . Leonis XII. (Gall. etiam vers.) Vid. s. p. 169.*
1842. *Drietal vragen aan den Heer Wennickendonk. (BUYS).*

1842. *Nader gesprek met den Heer Wennehendonk.* (Idem.)
1844. *Rome en Utrecht, Korte schets... der 3 hoofdschillen.* (Idem.)
1844. H. J. VAN BUUL, *Herd. onderrigt over de Kerkgeschillen hier te lande.*
1845. *De Regering en de Klerczy. Een woord over de jongste beraadslagingen.* (Vid. s. p. 174. not. 2).
1853. *Een woord van een zoogenaamden Jansenist over de woorden monster en pest in de Ap. breve van 4 Ap. 1853.*
1855. *Schets eener gesch van de R.-Kath. Oud-bissch. Klerczy.*
1855. *Brief van... J. van Santen en H. J. van Buul aan Z. H. Pius IX.* (Vid. s. p. 174).
1854. *De Bissch. Klerczy onder de Oude Staatskerk en later, of de erkenning van hare Bisschoppen etc.* (J. H. DE VRIES).
1856. *Herd. onderrigt... over de onbevleete onto. der H. Maagd Maria.* (Vid. s. p. 174).

1843
1844
1845
1846
1847
1848
1849
1850
1851
1852
1853
1854
1855
1856
1857
1858
1859
1860
1861
1862
1863
1864
1865
1866
1867
1868
1869
1870
1871
1872
1873
1874
1875
1876
1877
1878
1879
1880
1881
1882
1883
1884
1885
1886
1887
1888
1889
1890
1891
1892
1893
1894
1895
1896
1897
1898
1899
1900

THESES.

I.

Jure suo Ecclesia Rom.-Catholica Ultrajectina Ecclesia *Jansenistica* appellari recusat.

II.

Rom.-Catholici, qui Ecclesiam Rom.-Cath. Ultrajectinam Ecclesiam *Jansenisticam* appellent, brevi resistunt Apostolico, quod INNOCENTIUS Papa XII a^o. 1694 dedit.

III.

Ecclesia Rom.-Cath. Ultrajectina illis favet principiis, quae vulgo *Jansenistica* dicuntur et *Gallicana*.

IV.

Nec *Jansenismi*, nec *Gallicanismi* doctrina *haeretica*, vel *schismatica* est dicenda.

V.

Jansenismus et *Gallicanismus*, *Jesuitismo* resistentes, probant in Ecclesia Rom.-Catholica illam deesse *unitatem* et *immutabilitatem*, quam Pontificii Ecclesiae suae decus appellant ac fundamentum.

VI.

Ecclesia Rom.-Catholica perperam *principium* suum esse formale: »quod *semper*, quod *ubique*, quod *ab omnibus*» contendit.

VII.

Synodus, quam a^o. 1763 Clerus Trajectinus celebravit, cum principio illo convenire conata est, et adversus *A catholicismum* et adversus *Jesuitismum*. Synodus illa nihil docuit, quod a Rom.-Catholicis haereticum haberi possit, vel schismaticum.

VIII.

Discrimen *jus* inter et *factum*, cui qui vulgo *Jansenistae* dicuntur, favebant in *formulae ALEXANDRI* subscriptione, injuste a nonnullis argutiis annumeratur.

IX.

Rerum Sacrarum instauratio *Ecclesiam Rom.-Catholicam*, in patria nostra, in *Missionis* formam non rededit.

X.

SASEOLDUS, ROVENIUS, TORRIUS, CATZIUS, NEERCASSELIUS et CODDARUS *Ordinarii* fuerunt *Ultrajectini*.

XI.

Decretum quo CODDAEUS, d. 13 m. Maj. 1702, suspensus declaratus est, injustissimum fuit, et schismati in archidiecesi *Ultrajectina* ansam dedit.

XII.

Jure suo Rev. Episcopi VAN SANTEN, VAN BUUL ET HEYRAMP negarunt, doctrinam de *Immaculata Conceptione* MARIAE Virginis, nisi violatis Ecclesiae Rom.-Catholicae principiis, dogma posse constitui *ecclesiasticum* Rom.-Catholicum.

XIII.

In Col. I 15—17, Filium esse *γεννηθέντα* diserte negatur.

XIV.

Math. XVI: 18, *πέτρος* ipsam spectat PETRI personam, nec tamen locus hicce Rom.-Catholicae sententiae de primatu PETRI favet.

XV.

Jac. II: 18, lectio *λογίς* praefenda est.

XVI.

Qui *mythis* originem suam debere statuunt miraculorum narrationes, quae in N. F. occurrunt, leges negligunt *criticae* q. d. *historicae*.

XVII.

Jesus, in vitam reversus, discipulis suis conspiciendum se praebuit.

XVIII.

Orator sacer, pro concione verba faciens, caute tantum ac raro, *ex improviso* loquatur.